Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1725

urn:nbn:de:gbv:46:1-4162

Visual Library


BIBL THECA
BRE NSIS.
T VIII.
Brem.c.59
Brem.
c.
59.

BIBLIOTHECA

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis *Octavae*

FASCICULUS PRIMUS.

BIBLIOTH. GYMN. BREMENSIS

BREMAE,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII,

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXV.

Reverendissimo & perillustri in Christo Patri ac Domino

CHRISTOPHORO,

Liberi atque imperialis

COENOBII LUCCENSIS ABBATI,

Augustissimi magnae Britanniae Regis & Electoris Brunsuicensis & Luneburgensis

CONSILIARIO PROVINCIALI PRIMO,

Statuum ducatus Calenbergici primati, reliqua,

Divinarum, humanarumque scientiarum ut gnarissimo,

ita & promotori summo

Tertium

Tertium ſupra *quadrageſimum*

BIBLIOTHECAE

HVJVS

FASCICVLVM,

Cum ingenuo voto, ut Viri inluſtriſſimi, cujus eum virtutum, bonorum, ac dignitatis eminentis HEREDEM, cùm divina eſſe voluit providentia, tum merita propria fecerunt, AETATIS quoque & FELICITATIS exaſſe HERES conſtituatur,

L. M. Q. offert, & ſuae perquam exquiſitae obſervantiae pignus ac teſſeram eſſe vult

EDITOR.

En tibi Syllabum eorum, quae in hoc Fasce apparent.

I. JEREMIAE PHILADELPHI de valle Josaphati ad Joelis III: 2, 12. IV: 14. meditatio p. 1.

II. *Caroli Friderici KRUMBHOLTZII* de *Servatore fustibus caeso* ad Matth. XXVI. 67. Marc. XIV. 65. Joh. XVIII: 22. XIX: 3. diss. p. 35.

III. *Almonii UTINIS*, demonstratio, quod *Idea electi mundi optimi* à Deo removeri nequeat p. 47.

IV. *Joachimi Christiani JEHRINGII* diss. de *regione TARSCHISCH* p. 78.

V. J. C. HARENBERGII de modo eruendi aurum atque argentum in Arabia & Aethiopia, descriptio Jobi XXVIII. 1-11. p. 93.

VI. *Ejusdem* defensio receptae lectionis Gal. II. 3, 4, 5. p. 104.

VII. *Eilharti Foleartbi HARCKENROTHII*, vita *Guilielmi GNAPHAEI* p. 111.

VIII. G. OUTHOVII de quarundam vocum, speciatim שמים ac בר, ἐτυμῳ disquisitio p. 120.

IX. Jo. ALBERTI Observationum criticarum in HESYCHIUM specimen p. 149.

X. Anonymi Schediasma de *Concilio*, quod Sec. XVI. primum MANTUAM, deinde VICENTIAM indictum fuit p. 164.

בשם שמים:

I.

JEREMIÆ PHILADELPHI,

De

VALLE JOSAPHATI (a)

ex Joëlis III: 2.12 nec non

Valle Excidii Joëlis IV: 14.

meditatio.

§. 1.

ESSE δυσνόητα permulta in sacris utriusque fœderis voluminibus, si vel alia deficerent testimonia, quæ est summa inter interpretes in explicandis capitibus non paucis, docet dissensio. Contradicit alter alteri; hic oftendit,

(a) Confer de hoc argumento Dissert. max. vener. REIMMANNI, quæ ornat hujus Bibl. T. VI. Fasc. III. p. 412. sqq.

dit, quomodo lapsus sit ille, in securiorem inquirit viam alius, ubi reliquos à veritatis tramite videt aberrasse. Nec tamen raro contingit, ut meliora non afferat, cui sordent aliena; vehementius impingat ipse, aliis id exprobrare paratissimus; imo incidat in scyllam, qui vult vitare Charybdim. Mirum non est, si ingens antiquitatum & rituum, quorum vix quidam ad nos pervenere, iiq; perexigui rivuli, pelagus; si longam rerum gestarum, quarum una alterave tantummodo inaudivimus summa capita, seriem; si ipsam denique styli virorum θεοπνεύστων spectemus sublimitatem atque magnificentiam. Accedit, quod de lingua Hebraica ejusdem hodie peritissimi tantum callent, quantum per temporum licet injuriam. Hæc mecum reputans, vix impetrare à me possum, ut juris faciam publici, si qua in sacri codicis lectione se mihi offerat explicatio à nemine vel paucis jam ante proposita. Quæ tamen me lactat spes, eandem, si qua à vero deflexero, quam alii, impetrandi veniam; imo quod me tenet desiderium rectiora ab iis, quibus mea non probantur, & his meliora norunt, edoceri; stimulum mihi admovit, ut cum perito & benevolo lectore, quæ de *Valle Josaphati & deducendis in illam à Deo gentibus* ex Joëlis cap. IV, 2. 12. opinor, communicem.

§. 2. Perpetuo veluti montium jugo hæc-

ce

ce vallis includitur, nullis se pylis aperiens interpretibus, aut certe peranguſtis. Indefeſſum inveſtigandi ſtudium plurimos ad vallem Cedron, urbi Hieroſolymorum contiguam, detulit. Et cum meliores fere omnes hoc Joëlis vaticinium de extremo à Chriſto in totum genus humanum exercendo judicio uno ore interpretentur; ſunt qui tradidere, hoc loco moti, judicium ultimum in hac ipſa prope Hieroſolyma valle habitum iri. In quibus Chriſtianus *Adrichomius* in Theatro Terræ ſanctæ p. 172. num. 204.

§. 3. Recte ab his diſſentiunt, ne Chiliaſtis aliisve ſuperſtitioſis de terreno quodam, cum Judæis, Meſſiæ regno ſomniandi materiam ſuppeditent, qui typice hæc & per metalepſin à vate dicta malunt, quemadmodum Joſaphat in valle benedictionis inſigni potitus eſt victoria, quæ 2. Chron. XX. prolixe recenſetur, & verus omnino in hunc prophetæ locum eſt Commentarius; ſic Chriſtum in extremo judicio è ſuis veritatisque hoſtibus triumphum eſſe acturum ampliſſimum. In his eſt Stephanus *Fabricius*, Bernenſis Eccleſiæ quondam paſtor, cujus verba ex ſacris ipſius in prophetas minores concionibus, p. 523. huc adſcribi merentur. „Locus, inquit, etiam judicii exercendi deſignatur parabolice: nempe VALLIS JOSAPHAT. Hoc autem non ita accipiendum eſt, ac ſi certa quædam vallis ſit,

„ſit, in quam totus mundus aliquando co-
„gendus & congregandus ſit, ut ibi-
„dem judicium Dei ſubeat, ſicuti ſu-
„perſtitioſi quidam ſomniant: Sed locutio
„hæc ſumta eſt ab inſigni victoria, quâ repor-
„tavit rex Joſaphat de ſuis hoſtibus, quæ de-
„ſcribitur 2. Chron. XX. Ab hac ergo pugna
„& victoria Joſaphati vallis iſta hic denomi-
„natur, alioquin dicta vallis benedictionis,
„ſive laudis, quia ibi benedixerunt Jehovæ,
„id eſt, laudaverunt eum, gratias ei agen-
„tes pro tam inſigni victoria. Senſus igitur
„eſt, ac ſi diceret Dominus: Se aliquando
„cum hoſtibus Eccleſiæ acturum, quemad-
„modum olim cum Moabitis & Ammonitis
„populi ſui hoſtibus egerit.“ Hæc ille.
Eodem quo Fabricius modo exponunt Joh.
Schmidius in Proph. min. pag. 518. 519. Joh.
Tarnovius in Proph. min. p. 492. ſeqq. & alii
multi. Niſi quod celeberrimi hi viri vocem
יהושפט appellative accipiendam & *Judicium
Domini* reddendam exiſtimant. Quod quibus
faciant præeuntibus & quo jure, noſtrum erit,
ut paucis nunc examinemus.

§. 4. Auctoritate nituntur interpretis
Chaldæi, vocem יהושפט appellative, ut ſi-
gnificet פילוג דינא h. e. *diſtributionem judicii*,
contentionem judicii, *habendum judicium*, vertentis.
Quem & ſecutus Raſchi hunc ad locum ita
commentatur: אל עמק יהושפט ארר עמם בעמק
יהושפח הדין משפטי יה h. e. In vallem *Joſchaphat*

hoc

„hoc loco reddendum est: Descendam cum „illis in vallem *habendi judicii*. Vocabulum „*Iehoschaphat* enim *judicia Dei* hic significat. Sic habent viri celeberrimi, & qui cum iis faciunt, ex ipsis Judæis, quorum vestigia premunt: & Jonathanis in primis auctoritas, propter antiquitatem, videatur non esse nulla. Quomodo vero יהושפט appellativum esse potest, cum Hebræa lingua composita ejusmodi nesciat? Objiciat mihi quis צלמות, & si qua fuerint pauca alia. Ast hæc non sunt vera composita, sed revera binæ voces, quæ cum loquentium celeritate in unam quasi coaluerint, scribendo quoque cum tempore fuerunt contractæ, aut potius manserunt; haud aliter quam ὦνθρωποι pro οἱ ἄνθρωποι apud Græcos, & ab Hebræis מזה pro מה זה, & ejusdem farinæ plura. Vel & concedamus, composita hæc esse; utrumq; tamen simplex comparet integrum, secus ac in יהושפט.

§. 5. Quare עמק יהושפט nobis erit *Vallis Josaphati*, cum vulgata Græca, beato Luthero, Sanctio, & aliis; quibus addo Kimchium & Abarbanelem, Judæos. Explicaturus quomodo Josaphati cognomen vallis illa fuerit sortita Kimchius subjungit: וזה העמק היה למלך יהושפט אולי בנה שם או עשה שם מעשה ונקרא על שמו „Fuit vallis ista Josapha„ti, quod in illa forsitan ædificavit aut fecit „opus aliquod, unde ab ipso est cognomina-

ta." Satis mihi jejuna hæc videtur conjectura, cum nullo plane ex hiſtoria fulciatur fundamento; poſteriori Paralipomenon aliam appellationis hujus rationem ſuppeditante. Abarbanel tamen, & quod miror, Druſius ad ipſius abeunt opinionem.

§. 6. Hanc Joſaphati vallem, ubinam quærant interpretes verbo jam ſupra fuit indicatum. Affert Druſius p. 466. hiſtoriam ex Joſephi Gorionidis lib. 6. c. 74. de Zacharia quodam, ex ſumma turri, quæ ad mœnia urbis Hieroſolymorum fuerit, in terram præcipitato, qui è muro in latera vallis Joſaphat ceciderit. A quo magiſtro ſe rectiſſime edoceri exiſtimat vir celeberrimus, vallem hanc Hieroſolymorum urbi fuiſſe contiguam. Eſt hic unus antiquiorum, qui cum Judæorum tum Chriſtianorum permultis, iisque magni nominis viris, perſuaſit, eandem eſſe Cedronis & Joſaphati vallem. Unde Adrichomius, quaſi re extra omne dubium poſita, p. 172. n. 202. „Torrens Cedron, „rivus eſt ad orientem Jeruſalem, inter ipſam „& montem Oliveti, qui pluvialibus aquis „undique de montibus, nec non ex fontibus „ac piſcinis auctus, dulci quodam ſtrepitu „per mediam vallem Joſaphat atque Gehen„non, perque plana deſerti in mare mor„tuum fluens abſorbetur." Et num 204. „Vallis Joſaphat, quæ & vallis Cedron, & „vallis montium vocatur, vallis eſt lata & pro-

„profunda inter Jeruſalem & montem Oli-
„veti interjecta, totam ab oriente cingens
„urbem.“ Joh. Lightfootus Operum Vol. II. p. 200. ambigit cum Kimchio, quid de Valle Joſaphati ſtatuendum ſit; ad eandem tamen ſententiam videtur inclinare. Vid. & ejus Vol. I. p. 94. Mihi quidem Joſephi hujus auctoritas tanta non eſt, ut illa abripi me patiar. Argumenta deinceps in medium proferentur, quæ me plane aliter jubent ſentire.

§. 7. Jam ne diutiuſcule in valle incerta oberremus, examinandum paucis adhuc erit, an de ſtrage hoſtium Eccleſiæ in valle Joſaphati edenda conſentiant Commentatores; & quorum explicatio alteri ſit præferenda. Miſſas facimus Judæorum nugas, de ſuo hæc, quem expectant, Meſſia explicantium, gentes internecione deleturo & Hieroſolymas reſtauraturo.

§. 8. Gravius fere impingunt, qui in ipſam Joſaphato à Deo conceſſam adverſus Moabitas, Ammonitas & Idumæos victoriam hæc à propheta dicta volunt. Ponamus, Joëlem Joſaphati ævo vixiſſe, (quod tamen probatione, ſingulis fere contradicentibus, multoque recentiorem eum facientibus, indigeret admodum probabili;) nequivit certe propheta, ſi intelligi a lectoribus voluit, pugnæ vallem ante reportatam in ea victoriam adpellare Joſaphati vallem; quod cognomen demum poſt pugnam & ab ea eſt nacta.

Adeo infirmis hæc opinio nititur talis, ut quod possem, multis opponendi lubens supersedeam labore.

§. 9. Refutans ita sentientes Drusius Comm. in proph. min. p 465. Babyloniis Judæos in captivitatem abducturis eorumque sociis putat int ritum prænunciari. „Sequentia, in„quit, satis declarant, hunc locum in„telligendum esse de Assyriis & Chaldæis, „hoc est, de iis gentibus, quæ Chaldæis in „bello adversus Judæos militarunt. Sic Abd. „6. *quemadmodum bibistis* (*vos* Judæi) *in mon„te meo sacro, bibent omnes gentes jugiter: bi„bent, inquam & absorbebunt, & erunt ac si „non fuissent.* Cum autem *omnes* dicit, nul„lam excipit. Quocirca errant, meo ju„dicio, qui hæc restringunt ad historiam, „quæ narratur 2. Paral. 20. Nam quæ gentes „bellum Josaphato intulerunt, memo„rantur ibi Ammonitæ, Moabitæ, & „Idumæi, nec plures." Errent omnino illi: Verum errat & Drusius. Quis enim historicorum memoriæ prodidit, ea passos esse Assyrios & Babylonios, quæ hic propheta minatur? Et quod majus, connexioni quomodo consuletur; cum in antecedentibus effusio Spiritus Sancti in Apostolos facta tam vivis depingatur coloribus, ut non possit vividioribus Reductorum ex captivitate Judæorum mentio Cap. IV, 1. facta, movit procul dubio virum, ut ita sentiret.

§. 10.

§. 10. Nisi connexio & multa, quæ illuc trahi nullo modo possunt, obstarent, rectius se mihi probaret *Tarnovii* conjectura, quam p. 493. inspergit: „Quid vero, inquiens, si to„tum hoc caput de Senacherib expeditione & „clade intelligatur, quē judicabit Dom. in valle „Josaphat prope Jerusalem, occisis ejus copiis? 2. Reg. 18, 35." Cum quo & Lightfoot facit Vol. I. p. 94. Quomodo autem hæc cū promissione effundendi Spiritus sancti cohærent? Qualis tum facta erat captivitatis Judæ & Hierosolymorum reductio? Quid deniq; Tyriis eo tempore & Sidoniis rei cū Judæis fuerat, quod propheta Cap. IV, 4. tam acerbe in eos dicit? Quid Aegyptii pecca erant? quid Idumæi? qui non erant Sancherib fœderati, sed quos & ipsos populabatur. Nullus dubito, viros eruditissimos & primo inter interpretes loco suo jure ponendos hoc probe perspexisse, quod quibusdam in locis textui hac expositione omnino vis sit facienda. Seduxit autem vallis Josaphati, quam prope Hierosolymorum muros & illo ipso in loco se invenisse crediderunt, ubi Sancheribi illa strages post hominum memoriam maxima, multisque de causis cum hostium Josaphati cæde omnino comparanda, fuerat edita.

§. 11. Denique vero nec ad extremum sub finem mundi judicium insignem hanc Joëlis prophetiam referre audeo. Veniam à tot Theologis, celeberrimis optimeque de Christi ecclesia meritis, qui unanimi consensu

hanc amplectuntur ſententiam, peto; quod argumento adductus non uno ipſis non poſſum ſuffragari. Quantus quæſo prophetæ faciéndus fuiſſet ſaltus, ſi, modo locutus de effuſione Spiritus ſancti in' Apoſtolos ſtatim ad finem mundi & extremum judicium flectere ſermonem voluiſſet! Nimis magno tempora diſtant intervallo. Cur vero ſeparabimus, quæ uti in vaticinio arctiſſime cohærent, ita una temporis ſerie eſſe impleta fide digniſſimis demonſtrare licet teſtimoniis? Non immerito in poſterum eventura credimus, ſi quæ à viris ſanctis legimus prænunciata, quorum veſtigia nulla in hiſtoriis reperimus. Ubi tamen magna opus eſt circumſpectione; cum unico verbo maximi momenti res & hiſtoriæ haud raro attingantur verius quam exponantur. Nec inficias ire quis poterit, præſagiorum in ſacra ſcriptura obviorum completionem ex ſolis interdum exteris ſcriptoribus eſſe petendam. Undecunque vero ſciamus facta jam eſſe quæ Deus per prophetas ſuos juſſit prædici, fruſtra illa adimplenda expectamus. Similia iis accidere iterum atque iterum poſſe, ad quæ ejusmodi vaticinium adplicari commode queat, experientia edocemur quotidiana. Sic accommodari Joëlis vaticinium ad judicium extremum eleganter, concedo manibus ambabus; de eo eſſe explicandum primario, ut credam vix ac ne vix quidem à me impetravero. Admodum enim

enim multa sunt in eo vi quadam illuc trahenda. Figurate multa, imo fere omnia, dicta esse facillime largior. Quis vero προπετευς arguat viros, quod figuris usi sint incongruis & rei absonis? Ego certe non video, quomodo de extremo dici queat judicio, quod Deus ecclesiæ hostes filiis Judæ sit traditurus, ut vendant eos Sabæis, & ejusmodi multa. Figurate loquimur, non ut simus obscuri, sed ut dicamus significantius, ut intelligamur rectius, & rem dicendam auditoribus vel lectoribus sistamus veluti præsentem. Quid si vero reperiamus in præteritis hostium ecclesiæ fata, quibus omnia à propheta vel proprie vel figurate dicta commode respondent, ipsis viris προπετευσις interpretibus? Id jam agemus ut ostendamus.

§. 12. Duplex erit opera nostra. Ante omnia in Josaphati illam vallem, à perpaucis adhuc inventam, lectores erunt deducendi, ut coram intueantur, situmque ejus & res in ea gestas probe examinent; ut à quibus & „qua de causa Josaphati ipsi cognomen fuerit inditum ipsi judicent. Dein vero investigandum nobis erit, à quibusnam ecclesiæ hostibus & quomodo Deum sumturum vindictam propheta inflatu divino prænunciet. Si quid invenerit benevolus lector, quod assentiatur, erit quod mihi gratuler: Sin minus, edoceri cupio rectiora.

§. 13. In utroque nobis argumento lucem af-

affundit clariſſimam poſterioris Chronicorum caput vigeſimum. Prolixe ibi deſcribitur Moabitarum, Ammonitarum atque Seiritarum in Joſaphatum Judæosque moventium expeditio. Caſtra poſuerant בחצצון תמר היא עין גדי, *prope Chazezon Thamar, quæ & Engedi.* v. 2. Joſaphatus illorum ſuſtinendo impetui impar divinum implorat auxilium v. 3. ſeqq. De quo impetrando per prophetam Jachſielem certior factus, obviam ire hoſtibus jubetur. v. 14. ſeqq. Quos, עולים במעלה הציץ, *cum jam agmen ducant præter montana Ziz*, ſint offenſuri בסוף הנחל פני מדבר ירואל, *in extrema valle verſus deſertum Jeruel ſpectante.* v. 16. Pugna opus haut fore. Irent tantummodo, ut ſpectatores ſint vindictæ divinæ ab hoſtibus ſumendæ. 17. Confiſus rex prophetæ promiſſionibus, inter preces & cantica copias urbe educit, למדבר תקוע *in deſertum Thecoæ* adjacens. v. 18. ſeqq. Ante vero quam illuc pervenirent, diſcordes inter ſe hoſtes facti ſemet peremerant. Invenerunt igitur cadavera cæſorum hinc illinc in valle jacentia, tanta edita ſtrage, ut nulli fere fuga ſalutem invenerint. v. 22. ſeqq. Tantam repererunt prædam, ut integro triduo illa occupanda detinerentur. v. 25. Quarto die in ipſa illa valle gratias ſummo numini pro tanta liberatione perſolverunt humillimas. Unde hæc vallis cognomen עמק ברכה *vallis benedictionis* vel *gratiarum actionis*, eſt ſortita.

tita. v. 26. Cum gaudio dein & jubilis Hierosolyma sunt reversi. v. 27. 28. Et ex eo tempore pace constanti fruebantur. v. 29. 30.

14. Breve hoc laudati capitis dedisse argumentum, est digitis vallem Josaphati, quam quærimus, commonstrasse. Quis enim non videt, me non monente, unam esse vallem, עמק יהשפט , עמק הברכה, סוף הנחל פני מרבר ירואל & עמק החרוץ, quomodo similiter à Joële cognominatur c. IV, v. 14.

§. 15. Jam non ad Hierosolymorum mœnia vallis Josaphati à nobis erit quærenda, quam invenimus, בסוף הנחל פני מרבר ירואל, h. e. *in extremitate vallis versus Jeruel spectante.* Huic vero ubinam assignabimus situm? Illam enim omnes ignorant Geographi, uno excepto Adrichomio; qui vero, p. 50. num. 162. præter nudum nomen nihil quicquam de situ habet. Imo fingit torrentem in hac ipsa valle, de quo in sacris nulla mentio; quando p. 55. num. 240. scribit: *Torrens contra solitudinem Jeruel, juxta quem Moab, Ammon & Seir perierunt à facie Josaphat. 2. Reg. 20.,,* נחל non est torrens hoc loco, sed vallis.

§. 16. Cum igitur solatium aliunde frustra quæratur, ipsum laudatum posterioris Chronicorum caput Geographorum supplet defectum. Qui primum Joëli afferebant de hostium adventu nuncium, eos prope *Engedi* castra posuisse indicabant. Progressi dein fuerant

rant ad montana *Ziz*, offendêndi à Josaphato in extremitate vallis è regione deserti *Jeruel*. Rex Josaphat obvius iis factus in desertum *Thecoæ* subjectum pervenit. Res equidem in expedito esset, si non æque ignoraretur *Ziz* atque *Jeruel*. Habet quidem Ptolemæus Arabiæ Petrææ *Zizam*, lib. 5. c. 17. Hæc vero Judææ illa Ziz esse nequit; nisi ille nimium regiones locorumque situs, quod haut raro facit, confundat: Sunt enim Ptolemæi incerta fere omnia, nisi antiquorum alii illum illustrent. Sufficiat ergo nobis, vallem, quam insignis hæc victoria nobilitavit, intermediam fuisse Engedi & Thecoæ urbibus; quarum satis certum definire possumus situm.

§. 17. *Engedi* sive *Engaddi* oppidum ad latus Asphaltitæ adpositum fuisse occiduum omnes consentiunt Geographi. In eo dissentiunt, quod aliqui ad superiorem, qua Jordanem omnem recipit; plures iique potiores ad inferiorem lacus linguam vel sinum id collocant. Sive ad hos sive illos accedamus, parum ad rem faciet præsentem. Operæ tamen fuerit pretium, verum oppiduli hujus situm definire; quo rectius hostes Josaphati ad internecionis suæ vallem progredientes prosequamur. Ad inferiora ponit Stephanus Byzantinus: Ἐγγάδα, κώμη μεγάλη πλησίον Σοδόμων Ἀραβίας.„ Engada, vicus est magnus, prope Sodoma Arabiæ.„ Sodomam vero circa australem lacus Asphaltitæ sinum fuisse re-

recentiorum nemo dubitat. Ad medium circiter lacum videtur collocasse Josephus Antiqu. lib. IX. c. 1. in relatione hujus ipsius Moabitarum & sociorum in Josaphatum expeditionis. Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, inquit, ἐστράτευσεν ἐπ' αὐτὸν Μωαβίτης καὶ Ἀμμανίτης, συμπαραλαβόντες καὶ Ἀράβων μεγάλην μοῖραν, καὶ καταστρατεύονται πρὸς Ἐγγαδὲ πόλιν, κειμένην πρὸς τῇ ἀσφάλτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων. *Circa idem tempus bello eum* (Josaphatum) *persequuti sunt Moabitæ & Ammonitæ, magna Arabum sibi turba juncta. Castra posuerunt ad Engade urbem, adjacentem Asphaltitæ lacui, & trecenta stadia Hierosolymis dissitam.* Hoc Josephi loco Relandus in Palæstina, p. 448. 449, argumentis vero admodum debilibus, probare annititur, adpositam eam fuisse parti maris bituminosi septemtrionali. Quod ut possit, affert ejusdem Josephi auctoritatem, longitudinem maris bituminosi ad 580. stadia extendentis, lib. IV. de Bello cap. 27 : Ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ἐγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι στάδιοι, καθὸ δὴ μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτείνεται. Εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. *Lacus hujus longitudo quingentorum & octoginta stadiorum est; nam usque ad Zoara Arabiæ extenditur: latitudo centum quinquaginta stadiis patet.* Hinc concludit Relandus, Engedi plus quam 600. stadia Hierosolymis abfuisse, si ad sinum lacus australem fuisset posita. Quasi vero parti lacus australi adposita dici nequiret, nisi in extre-

tremo illius fuerit limite. Hoc diserte Hieronymus, cui ibi contradicit, non asserit' Australi lacus parti adposita fuit, dummodo extremitati illius meridionali quam septemtrionali fuit propinquior. Cur autem vir celeberrimus non recta via Hierosolymis ad lacum cum Josepho pergit, sed ambages Hierichuntem & ad Jordanem quærit? Hos ut sequamur anfractus ad minuendam oppidi Engaddi ab Hierosolymis à Josepho datam distantiam ratio subest nulla; admodum sunt multæ, ut longius paulo removeamus. Quotquot fere Scripturæ sacræ loca oppidi Engedi faciunt mentionem, ad extremos, qui Judæam meridiem versus includunt, limites id rejiciunt. Si conferantur capita XXIII. XXIV. & XXV. prioris Samuelis, dubitare nos non sinunt, hunc fuisse urbium ibi memoratarum situm, procedendo à septemtrione versus austrum: *Zipb*, *Enged*, *Maon*. David fugiens insidias Saulis in solitudine *Zipb* latitabat. Cum ibi tutum se non videret, in desertum *Engedi*, finibus Judææ propinquius, se recipiebat. Verum nec hic securus in solitudinem *Maon*, Judææ partem extremam qua in meridiem vergit, & Arabiæ desertum *Pharen*, promovebat. Fuit autem *Zipb* in octavo milliario ab *Hebrone* versus austrum & orientem; *Hebron*, ut Hieronymus tradit, ultra viginti millia in meridiem ab Hierosolymis recedit. Jam cum *Engedi* magis adhuc in au-

strum

ſtrum vergat, trecentorum ad minimum ſtadiorum intervallo recta linea Engedi & Hieroſolyma diſſita fuerunt. Imo longius abfuit Hieroſolymis, ſi non oppidum, certe deſerti Engedi pars auſtralior. Nullum ſane eſt dubium, quin longo adhuc intervallo verſus auſtrum deſertum *Engedi* à *Ziph* poſitum fuerit aut ſe extenderit, in auſtrali limite Judææ, eoque extremo. Quantum enim ex Gen. XIV: 7. adparet, in eodem fuit cum Kades tractu; quippe quod prius contingerent Kedorlaomor & ſocii quam ad pentapolin pervenirent, igne cœlitus deinceps delendam. Nec impedit, quod ibi חצצן תמר adpellatur. Utrumque nomen 2. Chron. XX. legitur. Hujus, de qua nunc eſt ſermo, adpellationis rationem explicat Joſephus Ant. lib. IX. c. 1. Γεννᾶται δὲ ἐν ταύτῃ φοίνιξ ὁ καλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον. „Fert regio circa Engedi egregia „palmeta & baſamum.„ Interdum & nude תמר dictum fuit; quemadmodum Ezech. XLVII. 19. Ubi limes Judææ conſtituitur meridionalis ab hac *Thamar*, per *Cades*, ad *mare mediterraneum*. Jam quis *Engedi* oppidi & deſerti ſitum non videt, in ipſis ferme Judææ & Arabiæ confiniis, ad linguam maris mortui inferiorem, nec adeo longe ab ultima hujus ſinus extremitate. Id quod miror Relandum non animadverſiſſe. Hoc in deſerto Moabitæ, Ammonitæ & Seiritæ primo ſua caſtra collocaverant.

§. 18. Supereſt, ut paucis *Thecoæ* illuſtremus ſitum. Hæc *Hieroſolymis* in auſtrum aberat duodecim millibus, Hieronymo in Eſaiæ VI, 1. & Euſebio teſtibus. Eodemque Hieronymo in Amos prophetam monente, ſex millibus ad meridianam plagam diſtabat à Bethlehemo; quod Euſebius in ſexto ab Hieroſolymis ponit miliario, in via quæ Hebronem ferebat. Joſephus lib. V. de Bello c. 7. Herodio vicinam fuiſſe docet; cui 60. ſtadiis ab Hieroſolymis verſus auſtrum, Antiqu. XIV, 28. XV, 12. de Bello I, 11. 16. & 200. ab Hierichunte ſtadiis, de Bello I, 21. locum aſſignat. Ex quorum collatione adparet, ita Hieroſolymis verſus auſtrum fuiſſe, ut in orientem ſimul ab Hieroſolymorum meridiano declinaret, nec longe ab Asphaltite lacu recederet. מדבר תקוע, *Deſertum* ſive *campeſtria Thecoæ* in celebrem vallem mari mortuo adjacentem deſinebant; quam à Tiberiadis mari ad ultimos Asphaltitæ lacus fines, imo vel ulterius, ſe extendentem Joſephus de Bello V. 4. magna induſtria deſcribit.

§. 19. Hæc uti ingentis longitudinis, ita ſatis quoque amplæ latitudinis vallis τὸ μέγα πεδίον dicebatur. In cujus magnæ planiciei parte inferiori mari bituminoſo adjacebat Engedi, prout ſupra oſtendimus; Eratque מדבר עין גדי, *ſolitudo* ſive *campeſtria Engedi*, ubi David latitabat 1. Sam. XXIV, 2. hujus ſpacioſæ vallis pars. In his circa *Engedi campeſtribus* prima

in

in Judæa Moabitæ & ſocii caſtra poſuerant. 2. Chron. XX, 2. In eadem hac valle pergentes, ne tot Judææ transcendere montes cogerentur, prætermeabant מעלה הציץ *adſcenſum* ſive *montana Ziz.* v. 16. In hac quoque valle, ex promiſſo prophetæ Iachſielis, offendendi erant à Joſaphato illiusque copiis; & quidem בסוף הנחל פני מדבר ירואל, *in extremitate vallis è regione campeſtrium Jeruel deſinente.* Non quod ipſa hic vallis terminetur, quæ ad lacum Geneſareth usque procurrit; ſed quod à latere ſinu quodam flexuque montibus ſe inſinuans altero cornu per aliquot ſtadia in mediterranea excurrat, ibique deſinat è regione ſolitudinis *Jeruel.* Hunc ingreſſi ſinum Joſaphati hoſtes in montana ex eo aſcendere cogitaverant, & Hieroſolymam recta jam via pergere. Dei vero providentia impediti, ſuismet ſe jugulabant gladiis, in valle quam ingreſſi fuerant ſepeliendi.

§. 20. Non jam afferemus, quas poſſemus de *Jeruel* conjecturas; cum aliunde ſatis certum extremitati vallis, in qua cladem hanc inſignem Moabitæ & ſocii ſunt perpeſſi, aſſignare queamus locum. Cum enim Joſaphatus cum copiis ſuis ad *campeſtria Thecoæ* deveniſſet, & in ſubjectam proſpicerent vallem, attoniti videbant hoſtium ſuorum cadavera humi jam ſtrata, ut finito bello de præda facienda ipſis tantummodo eſſet cogitandum v. 18. ſeqq. Quidni ergo colligamus, ipſa

Thecoæ campestria esse סוף הנחל, laudatam illam *vallis extremitatem*; aut ad *Thecoæ* urbem hunc vallis sinum, de quo propheta Jachsiel dixerat, desiisse. Quare quem Thecoæ dedimus situm, eundem jam merito constituimus vallis, in qua strages illa celebris Josaphati hostium fuit edita. Aberat itaque illa סוף הנחל, extremitas vallis, de qua sermo est, duodecim circiter millia passuum Hierosolymis.

§. 21. Eadem hæc est עמק החרוץ, *vallis internecionis*, quod nomen Joël cap. IV, 14. ipsi tribuit, ab hac hostium Josaphat cæde ibi perpetrata, & simili ecclesiæ hostium aliquando sequutura.

§. 22. In hac ipsa valle Judæi præda graves, quam per integrum triduum cæsis abstulerant, quarto post cladem die gratias Deo, Josapha-to præeunte, agebant quam humillimas. Quid enim nos moveat, quin gratiarum actionem in eadem hac valle statim factam credamus? Historicus sacer hoc omnino innuere videtur. Ubi enim de spoliis abreptis retulit, ita pergit v. 26: וביום הרביעי נקהלו לעמק ברכה כי שם ברכו את יהוה על כן קראו את שם המקום ההוא עמק ברכה עד היום: *Die dem quarto congregabantur.* Hinc inde prædæ causa dispalantes in ordines denuo coire cogebantur, לעמק ברכה, *in valle benedictionis*, vel *gratiarum actionis*; quomodo illam cognominat anticipando. Statim tamen rationem sub-

ſubjungit novæ hujus adpellationis: *Quia enim gratias ibi Deo agebant*, poſtquam ex præda congregati iterum fuerant, hunc ipſum in finem convocati; *hinc locus ille* עמק ברכה, *vallis gratiarum actionis, fuit adpellata; & hoc nomen retinet ad diem usque hodiernum.* HisDeo gratiis in ipſo victoriæ & tantæ ab hoſtibus factæ liberationis loco publice rite peractis, reverſi demum Judæi Hieroſolyma dicuntur, v. 27. 28. An huc trahendus ſit locus Καβαρβαέχα, quem ex Epiphanio Relandus allegat in עמק הברכה p. 356. qui tria milliaria Hebrone abfuerit, non equidem dixerim. Si eſt, Hebroni fuit ad ſeptemtrionem, ita tamen ut ſimul orientem verſus declinaret, & lacui bituminoſo eſſet propinquior. Et vel tribus milliaribus major inter eum & Hebronem fuit diſtantia; vel ſinus ille vallis, in quo fuſi ſunt Moabitæ cum ſociis, aliquot milliarium habuit latitudinem à ſeptemtrione verſus auſtrum. Quod autem, referente Adrichomio p. 44. num. 72. ex Hieronymo, Paula in montem, cui hæc villa ſuperſtructa fuit, aſcendens, in eo ſpeluncam Lothi fuerit contemplata, aut fabula eſt; aut aliam videns ſpeluncam, eam eſſe in qua delituit Lothus cum filiabus, falſis decepta credidit traditionibus, quæ Sodoma ad ſuperiorem lacus Asphaltitæ linguam collocarunt.

§. 23. Quemadmodum vero hæc vallis à cæde hoſtium cognomen עמק מחרון, & à

gratiis Deo ibi actis עמק ברכה est nacta; ita tertium עמק יהושפט à rege Josaphato, cui Deus celebrem hanc ab hostibus suis victoriam in illa concesserat, Joël propheta eidem imponit. Consentiunt mecum interpretes plurimi, prophetam ad Josaphati historiam respicere; in eo dissentire vidimus, quod ad mœnia Hierosolymorum plerique valli locum assignant. Pessime; cum vallem החרוץ vel in qua hostes Josaphati prostrati sunt, longius ab Hierosolymorum urbe removere cogantur. Synonyma autem esse prophetæ Joël עמק יהושפט & עמק החרוץ, vel cœcus videat, si conferantur capitis IV, v. 12. & 14. עמק ברכה vulgo eam fuisse cognominatam expressis verbis sacra scriptura testatur: *Josaphati* atque *excidii* cognomina ipsi fuisse imposita nusquam docemur, nec nisi apud Joëlem ea legimus. Quare dubitari possit, an in vita communi his appellari nominibus consueverit. Hoc vero nihil ad nos. Omnia recte se habent, dummodo legentibus de eadem hac valle intelligi & potuit & debuit propheta. Non potest autem non ab omnibus historiæ hujus non plane imperitis. Haut raro ab hominibus cognominari locos, in quibus singulare quid aut egerunt aut sunt experti, perquam multis scripturæ sacræ exterorumque scriptorum testimoniis, nec non experientia docemur quotidiana. Non desunt argumenta, quibus adduci queamus

mus ut credamus, vulgo hoc Josaphati cognomentum valli, de qua loquimur, esse impositum: Verum & in contrarium sunt, quibus à solo hoc factum esse propheta persuadeamur. Quod licuit vulgo, idem licuit & prophetæ. Sive hanc amplectamur sententiam sive illam, neutra nobis repugnat. Jam qui Josaphati vallem nobiscum non credit eandem esse, in qua Josaphati hostes sunt fusi, argumentis nos oppugnet necesse erit, & aliam monstret Josaphati quodam facinore celebrem, a quo ita mereatur cognominari. Celebriorem autem hac nostra vix quisquam invenerit; imo si conjecturas insuper habeamus, nulla se offeret alia quodam Josaphati facto inclyta.

§. 24. Habemus, quam investigavimus, *Josaphati vallem*, non uno, sed quatuor nominibus superbientem: סוף הנחל פני מדבר ירואל à situ; עמק החרוץ à strage Moabitarum, Ammonitarum & Idumæorum in illa edita; עמק הברכה à gratiis Deo in eadem ob concessam sibi victoriam à Josaphato persolutis; עמק יהושפט à rege Josaphato, qui in ea hanc victoriam ab hostibus suis reportavit; aut qui suos in eam deduxit, ut victos à Deo hostes spectarent potius & deprædarentur quam cæderent. Reliquum est, ut examinemus, quænam sit hostium strages in Josaphati valle repetenda, & quinam illi sint hostes, de quibus Joël propheta.

§. 25. Quem tutius sequamur, Petro Apostolo Joëlis interpretem neminem reperiemus. Hic Act. II, 16: τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ. De suo explicat tempore hoc Joëlis vaticinium. Objiciatur, de illa prophetiæ parte loqui Petrum, qua effusio Spiritus sancti in fideles promittitur. An non vero ipsissima Joëlis sunt verba, quæ subnectit v. 19. 20. 21: Καὶ δώσω -- ὄνομα Κυρίου σωθήσεται? Hæccine etiam de donis spiritus sancti interpretabimur? Nequimus sane. Minæ sunt, non promissiones. Petrus vero cum antecedentibus hæc conjungit, quod eodem cum illis tempore erant implenda. Instituerat dicere de eo, quod in festo pentecostes mirabantur alii, alii eludere tentabant, miraculo; non quæ in fine mundi eventura explicare. Cum enim discipuli Christi sancto spiritu repleti dialectis variis loquerentur τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, quo ipso timorem incutiebant plurimis; non deerant tamen homines profani, qui irridentes calumniabantur ipsos vino graves ejusmodi garrire. Quare Petrus: Non vinum loqui, sed spiritum sanctum. Instare, imo adesse jam, de quibus Joël propheta dixerit tempora, læta fidelibus, impiis autem atque incredulis tristia & luctuosa. Quemadmodum videant, ad tenorem prophetæ Joëlis, προφητεύσαντας indoctos, qui non sint γραμματεῖς; ita nec dubitent, verissima esse, quæ divino acti spiritu pro-

pronuncient, reliqua quoque ex Joële impletum iri incredulis & Jesu Messiæ hostibus internecionem minantia. Jam jam Christum vindictam sumturum ab impia Judæorum gente, quæ ipsum Messiam non tantum repudiaverit, sed & trucidaverit. Allegantur quidem ex Joële tantummodo signa atque prodigia τὴν ἡμέραν Κυρίε τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ anteceſſura; quis vero non videt cum ſequentibus prophetæ hæc cohærere? Male certe, imo peſſime, ſepararemus; cum de eodem hoc tempore iisdemque fatis commode imo commodius quam de aliis poſſint exponi. „Nam ecce! pergit propheta, illis diebus & illo tempore, quo reduxero captivitatem Judæ & Hieroſolymorum, congre-„ gabo omnes gentes, & deducam eos in val-„ lem Joſaphati," & reliqua. Ἡμέρα illa Κυρίε ἡ μεγάλη καὶ ἐπιφανὴς eſt ipſum illud tempus, quo gentes ſive eccleſiæ hoſtes in vallem Joſaphati dicuntur deducendi atque cædendi. Quando itaque Petrus teſtatur, adeſſe tempus quo edantur prodigia τὴν ἡμέραν κυρίε τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ anteceſſura; neceſſario inde ſequitur, nec longe illam diem abfuiſſe, in qua eccleſiæ hoſtes in valle Joſaphati fuerint delendi. Sic Petro interprete intelligi nobis poteſt inſignis, de quo eſt ſermo, Joëlis prophetia. Lanienam à Joële fuiſſe prænunciatam docet Petrus non gentium exterarum, ſed ipſorum Judæorum, qui olim quidem Dei

fuerint populus; jam vero, perpetrata cæde filii ſui & incredulitate pertinaci, hoſtes Dei ſint facti. Quare hortatur auditores v. 40: Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης.

§. 27. Idem procul dubio fuit argumentum orationum reliquorum fidelium ſpiritu ſancto impletorum, & ἑτέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ λαλούντων. Quis enim ignorat, τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ vocari facta Dei ſtupenda atque miranda facinora, quibus ſuorum proſpicit ſaluti, hoſtium vero vel compeſcit inſultus, vel, qua voluerant ſuos, eadem ipſos ſubvertit internecione, jure talionis? Non ignoro quidem, Judæos in feſtis ſuis, majoribus inprimis, occaſione decantati ſui Hallel haggadol multis deprædicare ſolitos fuiſſe magna Dei beneficia tempore exitus ex Aegypto genti ſuæ exhibita, quæ ipſi τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, & quidem κατ' ἐξοχήν, ſolent vocare; necnon benignam ex captivitate Babylonica liberationem, & quæ hanc ſecuta erat, Nehemiæ, Eſtheræ & Maccabæorum temporibus, à vicinorum iniuriis defenſionem. Nec inficias eo, τὸ הלל הגדול & olim perpetrata Dei facinora occaſionem Chriſti diſcipulis ſubminiſtraſſe, τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ ſuo tempore patranda prioribusque multo futura excellentiora celebrandi atque divulgandi. De futuris autem, non præteritis, præcipue peroraruntur. Ita ut ſentiam argumento adducor non uno. Finem adeſſe reipublicæ Judaicæ à ma-

magiſtro ſuo Jeſu plus ſimplici vice erant edo-
cti. Hinc non erat quod de inſtauratione reipublicæ paucis poſt annis deſtruendæ, imo cujus ruinam cum Petro velut jam præſentem intuebantur, tam magnifice ad præſentes loquerentur. Nec materiam habebant de Judaicæ, qualis tum erat, gentis gaudendi incrementis; quam Chriſtianis rebus videbant inimiciſſimam. Rectius cum Johanne Zachariæ filio inculcabant, ne jactarent Judæi, quod Abrahamum eosque patres habeant, quorum in gratiam Deus quondam prodigia varia ediderit; ſed meminerint, Deum vel ex lapidibus filios Abrahamo poſſe ſuſcitare. Exprobrandum ipſis erat acerbe, quod Jeſum Meſſiam ad ſalutem ſibi reparandam à Deo miſſum in crucem ſuſpenderint; & ſerio inculcandum, niſi pœnitentiam facinorum agant, vindictam divinam capitibus ſuis jam imminere. Ejusmodi fuiſſe argumentum orationum variis dialectis à ſingulis habitarum licet concludere ex verbis, Petri jam ſupra laudatis, v. 16: Τοῦτό ἐϛι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου ἰωήλ. Id quod videtis, inquit, & quod viros hoſce ſpiritu ſancto repletos prædicere atque monere auditis, ne contemnatis, ſed credatis, id ipſum eſſe quod jam olim Joël propheta vaticinatus eſt, noſtris nunc temporibus eventurum. Hæc ſatis declarant, Petrum & Apoſtolos celebre Joëlis vaticinium de cæde hoſtium gentis ſuæ in

val-

valle Josaphati à Deo repetenda de gentis Judaicæ & Hierosolymornm excidio intellexisse, & nos ut idem faciamus docere.

§. 28. Jam si conferamus Josephum & omnes, qui res illorum temporum memoriæ prodiderunt; eventus quoad singula tam accurate Joëlis vaticinio respondit, ut definire non ausim, quis omnes vividius descripserit & veluti depinxerit circumstantias, propheta, an historici? Singula illius verba videntur ab his repetita, nisi quod ille de futuris, hi de præteritis loquuntur. Eodem ab his plane modo referuntur eveniſſe & ordine, quo propheta prædixerat, & omnia tantam cladem anteceſſura, & ipsa gentis everſio, & hanc sequutæ calamitates nunquam satis deplorandæ. Par ratio fatorum prosperorum, quæ eccleſiæ Christianæ propheta auguratur. Operæ foret pretium, singula prophetæ cum historicorum conferre verbis; quo evidentius pateret, de hoc tempore prophetam locutum fuiſſe, non de alio. Quod vero faciendum cum in præsentia mihi non sumserim, utpote à meo alienum proposito, in aliud forsitan tempus rejicio; confisus, quæ dicta jam sunt, satis his sententiam meam iri confirmatum. Missis adeo ceteris, paucis tantummodo pondus, quod ineſt verbis, quibus in vallem Josaphati hostes dicuntur deducendi ibique cædendi, adhuc sub examen revocabo.

§. 29.

§. 29. Bene Stephanus Fabricius loco jam ſupra laudato, non proprie hæc, ſed figurate eſſe intelligenda, quod Deus aliquando cum hoſtibus eccleſiæ ſit acturus, quemadmodum olim cum Moabitis & Ammonitis populi ſui hoſtibus egerit. Qua vero de cauſa propheta reipublicæ Judaicæ everſionem pingit præciſe imagine hoſtium in valle Joſaphati cædendorum? Qua ratione Judæi in valle Joſaphati delendi גוים nomine adpellantur? Quænam illa denique ex captivitate liberatio Judæ & Hieroſolymorum, quæ cædem hanc ingentem dicitur anteceſſura?

§. 30. Significantiſſima eſt figura, qua everſio reip. Judaicæ per Titum comparetur cum cæde Moabitarum, Ammonitarum & Idumæorum in valle Joſaphati; prout videbimus, ſingulis utriusque facti circumſtantiis probe invicem collatis. Rex Joſaphat, in cujus gratiam Deus hoſtes populi ſui tam cruenta clade proſtraverat, typus eſt Chriſti, regis Judæorum atque piorum, perfectiſſimus. Ille abrogavit aras, in quibus extra Hieroſolyma, nulla interdicti divini habita ratione, Judæi vel idolis, vel Idololatrico more vero Deo, ſacra faciebant; emiſitque anno regiminis tertio, qui per totum ſuum regnum legem domini populum docerent. Chriſtus quomodo ab omnibus impuritatibus, à Phariſæis inductis, Dei perpurgaverit cultum; imo lege abrogata ceremoniali, quæ poſt ſuum adven-

ventum nullius amplius erat usus, internum eumque Deo longe acceptiorem homines docuerit; instruxerit denique discipulos, qui doctrinam suam in toto propalarent orbe, ne solis Judææ limitibus salus ex ea suaque redemtione in homines redundatura includeretur: nosmet testes esse possumus.

§. 31. Tantos jam reges & tam gratos Deo injusto persequebantur bello, illum Moabitæ, Ammonitæ ac Idumæi, vicini iidemque consanguinei; hunc cives Judæi. Merito hostibus suis objicere poterat Josaphat 2. Chron. XX, 11. quod sint גומלים רע תחת טוב. De Christo quid dicemus, qui in mundum venerat, ut redimeret populum suum à peccatis, & a servitute Diaboli eos liberaret? Imo qui & in cruce pendens patrem suum cœlestem multis & supplicibus verbis orabat, ne parricidium in se commissum ulcisceretur.

§. 32. Judæi, sanguine tam mitis sui regis atque redemtoris inquinati, jam non habebant amplius quod objicerent Moabitis atque Ammonitis sanguinis maculam; aut Idumæis, quod proavus ipsorum primogenituræ prærogativa parvi habita verum paterni Dei cultum missum fecerit atque vicinarum gentium peccatis & idololatria se suosque contaminaverit. Ipsos jam spurios & rebelles merito dici Christus & Apostoli plus simplici vice objecere. Degeneres facti sui non amplius

plius ſimiles erant, ſed barbari, לא עמי. Quod falſe exprimit Joël, גוים eos appellando; nomine proprie quidem gentem quamcunque ſignificante, quo ſenſu & de ipſa Judæorum gente in ſacris aliquoties legitur; quod vero ſignificatu ſtrictiori apud Judæos vulgo recepto hodieque Græcorum atque Romanorum *barbaris* æquipollet. Exulabant Judæi in ipſa Judæa. Hieroſolyma, urbs dei ſancta ſcelerisque pura, ab ipſis obſidebatur atque angebatur impiis Hieroſolymorum incolis, veritatem divinam pro viribus oppugnantibus.

§. 33. Adeoque pii, Chriſto nomen ſuum profeſſi, merito à propheta è captivis liberi facti dicuntur, eorumque cœtus *reducta Judæ & Hieroſolymorum captivitas*. Quam prophetæ figuram totius N. T. ſtylus luculentiſſime illuſtrat.

§. 34. Quæ cum ita ſe ſint habitura, genti Judæorum improbæ, Moabitis Ammonitisque, ſpuriis, atque Idumæis, idololatris, quoad omnia ſimillimæ, ſimilem quoque propheta minatur exitum, ſtylo pathetico atque ſublimi: *Congregabo omnes gentes* (omnes Judæos, ex ſervis aut rectius filiis meis גוים, *barbaros* factos,) *in vallem Joſaphati. Ubi vindictam ab ipſis ſumam propter populum meum & hæreditatem meam Iiſchrael.* Hoc eſt, propter cædem filii mei Jeſu, regis Iſraëlis ſpiritualis, perpetratam, & quod aſſeclas ejus odio perſe-

sequuntur æterno; simili Judæos rebelles perimam modo, quo olim Josaphati hostes in valle prope Thecoam sunt oppressi.

§. 35. Magnitudinem cladis describit propheta, quod sit futura universalis. Sic enim de Josaphati hostibus 2. Chron. XX, 24: ואין פליטה. Simillima fata Judæorum remp. experturam propheta auguratur. Fuerantque tam sane dura atque horrenda, ut sine horrore nequeant legi historicorum monumenta. Tacitus lib. 5. hist. c. 13: „Multitudinem obsessorum omnis ætatis, virile ac„ muliebre sexus, sexcenta millia fuisse acce-„ pimus.„ Horum autem tam pauci in vita sunt conservati, ut omnes periisse dici queant. Josephus, cui major in his fides habenda, multo plures trucidatos esse tradit. Τῶν μὲν ἁλόντων, inquit de Bello lib. 7. c. 17. αἰχμαλώτων πάντων ὅσα καθ' ὅλον ἐλήφθη τὸν πόλεμον ἀριθμὸς, ἐννέα μυριάδες, καὶ ἑπτακισχίλιοι συνήχθη. Τῶν δὲ ἁπολωμένων, κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν, μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα. „Captivorum omnium, qui toto bello comprehensi sunt,“ nonaginta & septem millium comprehensus“ est numerus. Mortuorum vero per omne“ tempus obsidionis undecies centena millia.“ Hi in una periere urbe, vel fame, vel peste, vel ferro, tam miserandum in modum, ut ipsos victores miseratio subiret malorum. Unde mirum nobis esse non debet, ita res eorum tunc fuisse adflictas, ut exinde nunquam resurgere potuerint. §. 36.

§. 36. Modus quoque tantæ Judæorum ſtragis à propheta definitur. De hoſtibus enim in valle Joſaphati obtruncandis Jachſiel propheta 2. Chron. XX. 15. : לא לכם Etv. 17. pergit : לא לכם המלחמה כי לאלהים להלחם בזאת התיצבו עמדו וראו את ישועת יי עמכם יהודה וירושלים : Eventus vaticinium confirmavit, ceu v. 22. 24. videre eſt. Non minus Judæi, quieſcentibus Chriſtianis, quibus nec magis ad reſiſtendum vires erant quam Joſaphato, ipſum Deum experti ſunt hoſtem. Si vel alia defuiſſent iræ divinæ teſtimonia, ſatis ex eo cognoſceretur, quod tota gens ex omnibus orbis provinciis paſchales ad ferias congregata ſubitoque circumfuſa bello velut diro carceri incluſa periit. Supervenit exitioſiſſimum oppugnatorum malum diſcordia. De ea Tacitus Hiſt. lib. 5. c. 12. „Pervicaciſſimus quisque illuc „confugerat, eoque ſeditioſius agebant. Tres „duces, totidem exercitus. Extrema & la„tiſſima mœnium Simon ; mediam urbem „Joannes, quem & Borgioram vocabant; „templum Eleazarus firmaverat. Multitu„dine & armis Joannes, ac Simon; Elea„zarus loco pollebat. Sed prælia, dolus, in„cendia inter ipſos, & magna vis frumenti „ambuſta. Mox Joannes, miſſis per ſpeciem „ſacrificandi, qui Eleazarum manumque „ejus obtruncarent, templo potitur. Ita „in duas factiones civitas diſceſſit, donec

„propinquantibus Romanis bellum externum „concordiam pareret.“ Multo prolixius Josephus enarrat, quomodo justo Dei judicio in semet rebelles acti, suismet armis fuerunt confecti: Ad hujus vero libros de Bello lectorem ablego, cum prolixiora sint quæ huc pertinent, quam ut hic inseri queant; contentus attulisse adhuc luculentissimum ipsius Titi victoris testimonium. De quo ita Suidas in voce Τίτος: Ἐπεὶ δὲ ἡρήκει τὰ ἱεροσόλυμα ὁ Τίτος Συρίᾳ τε πᾶσι, καὶ Αἰγυπτος, καὶ ὅσα τῇ παλαιστίνῃ πρόσοικα γένη, ἐστεφάνουν τὸν ἄνδρα νικητὴν ἀναπαλῶντες. Ὁ δὲ διωθεῖτο τὰς στεφάνους, ὑπ' αὐλῶν λέγων εἰργάσθαι ταῦτα, θεῷ δὲ φήναντι ὀργὴν ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας. „Postquam Titus Hierosolyma cepit, Syria „universa, & Aegyptus, & omnes Palæstinæ finitimæ gentes tantum virum corona„bant, victorem adpellantes. Ille vero co„ronas repudiabat, dicens non se illa feciss„se: sed Deo iram suam declaranti suas ma„nus commodasse.“

§. 36. Finem denique spectemus belli hujus glorioſissimi, ab ipso Deo pro suo populo gesti, utrobique eundem, requiem populo ab hostium injuriis concedendam. De pace constanti, tanta hostium strage parta, qua Josaphatus & regnum ipsius dein fruebantur, 2. Chron. XX, 29. 30.: ויהי פחד אלהים וג'ער וינח לו אלוהיו מסביב: Quietem similem ecclesiæ Christianæ propheta Joël pollice-

licetur Cap. IV, 16. seqq. ad finem. Quæ & secuta est. Multo enim tranquillior ecclesiæ status statim post deletos Judæos factus. Etsi vero temporibus proxime insequentibus quædam adhuc diræ persecutiones eidem à Romanis fuerunt tolerandæ; nunc tamen, tot adversis defuncta fatis, per longorum seculorum seriem sub divinæ gratiæ mansuetudine requiescit.

II.

CAROLI FRIDERICI KRUMBHOLZII,

Dissertatiuncula

De

Servatore fustibus cæso

ad

Matth. XXVI, 67. Marc. XIV, 65. Joan. XVIII, 22. XIX, 3.

ARGUMENTUM.

Instituti ratio §. 1. τῦ ῥαπίζειν Matth. XXVI, 67. expositio vulgaris §. 2. Sine necessitate recedit à

propria vocis significatione §. 3. Absonam Matthæo adfingit tautologiam. §. 4. Discrimen, quod inter τὸ κολαφίζειν, atque τὸ ῥαπίζειν intercedere ajunt, hic locum habere non posse, demonstratur §. 5. Nostra in medium adfertur sententia. § 6. Convenit ea cum primo ac nativo vocis sensu §. 7. Cum scopo & intentione eorum, de quibus τὸ ῥαπίζειν hic loci prædicatur. §. 8. Denique cum tota narrationis serie. §. 9. Marc. XIV, 65. Joan. XVIII, 22. XIX, 3. illustrantur. §. 10. 11. 12. 13.

§. 1.

QUando divus ille MATTHAEUS Cap. XXVI. comm. LXVII. exponens summas illas indignitates, quas DEI filius, capitis a Synedrio damnatus, a pessimo summorum Pontificum famulitio aliisque nebulonibus fuit perpessus: τότε, inquit, ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῷ, καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν· οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν; cetera quidem non multum difficultatis habent. Hæc vero anceps est quæstio, & nondum adhuc, quantum scio, ad liquidum perducta: quinam sit verus atque genuinus τῦ ῥαπίζειν hic loci significatus, utrum, alapas optimo servatori homines nequam impegisse; an vero fustibus eum vel baculis male mulctasse, id vocis designet. Eidem igitur diligentius excutiendæ, nostram, id quod DEUS bene vertat! nunc commodabimus operam calamumque.

§. 2. Communissima interpretum opinio

huc

huc redit, alapas ſummo ſalutis noſtræ auctori mortalium nequiſſimos inflixiſſe, atque id ipſum eſſe, quod per τὸ ῥαπίζειν hoc innuatur loco. Ita ſentiunt non minorum modo gentium Dii, verum etiam ſummi quidam viri, v. g. ERASMUS ROTERODAMUS, (a) HUGO GROTIUS, (b) DANIEL HEINSIUS, (c) aliique eruditorum principes. Quid? quod ipſe MARTINUS LUTHERUS, magnus ille purioris doctrinæ vindex, eidem addictus fuiſſe videtur ſententiæ, dum verba: οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν, reddit: etliche aber ſchlugen ihn ins Angeſicht.

§. 3. Equidem τὸ ῥαπίζειν quandoque per ſynecdochen quandam de iis etiam, qui colaphos alicui ſive alapas impingunt, prædicari, negare omnino non poſſumus; quum variis id ipſum condoceri queat exemplis. Ita JOSEPHUS (d) de Zedekia, Pſeudo-Propheta, quem Michæ, vati divinitus acto, colaphum inflixiſſe, ſacra nos edocet pagina, (e) vocem uſurpat. Quando etiam optimus humani generis Servator (f) mitem

(a) *Annotat. in N. T. f. m. 289. Edit. Baſ. 1516.*
(b) *Obſervat. ad h. l.*
(c) *Ariſtarcho Sacro Cap. XIV. f. 940. Edit. Lugd. Bat. 1639.*
(d) *Antiquitat. Jud. Lib. VIII. Cap. X. f. 294. Edit. Colon. 1691.*
(e) *1. Reg. XXII, 24.*
(f) *Matth. V, 39.*

tem ſuis atque manſuetum commendans animum: ὅςις, ait, σὲ ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην, *quisquis cædet dexteram tuam maxillam, ei & alteram obverte.* Item quando Alexandrini Interpretes HOSEAE Cap. XI comma IV. ita interpretantur: ἔσομαι αὐτοῖς ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπον ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτῦ, *ero illis ſicut percutiens hominis genas*; ſatis manifeſtum eſſe judico, τὸ ῥαπίζειν idem illis ſignificare, quod τὸ κολαφίζειν. Scilicet manu duntaxat, non fuſte aut baculo genas hominis ferire ſolemus. Nullum igitur eſt dubium, quin τὸ ῥαπίζειν aliquando de iis quoque dicatur, qui alapas alteri ſive colaphos infringunt. At enim iſta neutiquam eſt genuina atque nativa, ſed tropica tantum vocis ſignificatio. Hæc ſcilicet, quod infra pluribus oſtendemus, primario ſuo ſignificatu nequaquam *manu*, ſed *virga* potius, vel *baculo*, *vel fuſte aliquem cædere* deſignat. Jam vero proprio ac nativo dictionis ſenſu penitus neglecto, ad tropicum ſine neceſſitate, quæ hic plane nulla eſt, confugere, boni neutiquam interpretis eſſe exiſtimo.

§. 4. Sed concedamus tantiſper, eſſe hanc primam, atque nativam vocis notionem, ut *alapas alteri ſive colaphos infringere* denotet; in eo tamen, de quo diſputamus loco, ſumma nos adigit neceſſitas, ut ab eadem recedamus. Ibi nimirum antecedens κολαφίζειν pro-

proxime insequitur τὸ ῥαπίζειν. Τότε, inquit MATTHAEUS, ἐκολάφισαν αὐτόν, οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν. Jam per τὸ ἐκολάφισαν αὐτὸν procul dubio nihil aliud indicatur, quam colaphos optimo humani generis liberatori homines summe nefarios inflixisse. Si igitur τὸ ἐῤῥάπισαν sensu accipi deberet eodem; tum vero ταυτολογία haec foret absona prorsus atque inepta, q. d. *tunc colaphos ei impingebant; quidam vero colaphos ei impingebant.* Quis quaeso, non dico divino lumine collustratus, sed sana tantum ratione praeditus homo ita loquitur? Divo quidem MATTHAEO putida ejusmodi ταυτολογία eo minus est affingenda, quo planius atque dilucidius τὸ ῥαπίζειν à verbo κολαφίζειν addita particula δὲ discernit, eo ipso haut quaquam obscure innuens, ab hocce istud ratione significationis multum omnino differre.

§. 5. In aprico hoc positum est ita, ut ii etiam, quibus τὸ ῥαπίζειν hoc in loco *alapas infligere* denotat, id ipsum inficias ire nequeant. Ut igitur nodum hunc solvant, quosdam *pugno*, reliquos *palma* servatoris faciem percussisse fingunt; atque istud per τὸ κολαφίζειν, hoc autem per τὸ ῥαπίζειν significari contendunt. Jam quidem eam verborum differentiam omnino diffiteri nolumus. Diserte nimirum SVIDAS: τὸ ῥαπίσαι παίσαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί. ὃ λέγουσι καὶ

(g) ἐπὶ κορ'ῆς, i. e. τὸ ῥάπισαι *manu passa maxillam percutere significat, id quod etiam genas cedere vocant.* Contra THEOPHYLACTUS: (h) κολαφίζειν, inquit, ἐστὶ τὸ διὰ τῶν χειρῶν πλήττειν, συγκαμπτομένων τῶν δακτύλων, καὶ ἵνα ἀφελέστερον εἴπω, διὰ τῆ γρόνθω κονδυλίζειν. *idem est* τὸ κολαφίζειν, *ac manibus percutere, incurvatis sive in pugnum contractis digitis, & ut simplicius dicam, pugno contundere.* Verum enim vero uti non nego, hocce discrimen inter voces dictas intercedere nonnunquam; ita, utrum illud hoc etiam in loco admitti queat, valde dubito. Certe vis & efficacia verbi ῥαπίζειν heic mihi longe major esse videtur, quam antecedentis κολαφίζειν. Nempe MATTHAEUS agens de indignissima Servatoris illusione, per gradus veluti adscendit ad summum, atrocem maxime injuriam, qua illum nequissimi mortalium affecerunt, ultimo reservans loco. Τότε infit, ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῦ. Tum pergens ad facinus multo magis indignum: καὶ ἐκολάφισαν, inquit, αὐτόν. Tandem ad summum quasi adscendens addit: οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν. Ex isthac nar-

(g) HEINSIUS l. c. legendum esse censet. ἃ λέγουσι, παίειν ἐπὶ κόρ'ης. Sed nihil opus est ista emendatione, si verbum παπάξαι, quo SUIDAS jam usus fuerat, vel aliud quoddam ejusdem valoris, per ellipsin quandam Græcis valde familiarem omissum, subaudias.

(h) Ad *Matth. Cap. XXVI. p. 169.*

narrationis ſerie, niſi me omnia fallunt, ſatis liquido patet, τὸ ῥαπίζειν his locis durius quid ac multo acerbius deſignare, quam τὸ κολαφίζειν. Jam vero, ſi quem manu ferias explicata, id non adeo durum eſſe cenſeo, quam ſi pugno eum probe contundas. Me quidem quod attinet, ingenue confiteor, longe mihi moleſtius futurum eſſe, ſi quis pugno arcte ac vehementer compreſſo, quam ſi palma tantum aliquot impingeret colaphos.

§. 6. Quoquo igitur ſe vertant, qui alapas Chriſto homines maxime improbos inflixiſſe, idque per τὸ ῥαπίζειν hic indicari, defendunt; ejusmodi incurrunt difficultates, è quibus ſe prorſus expedire nequeunt. Quare, ut, quæ mihi ſedeat opinio, paucis declarem; divus ille MATTHAEUS, quando injuriarum, quibus DEI filium affecere nihili homines, graviſſimam memoraturus. οἱ δὲ, ait, ἐῤῥάπισαν, id mihi dicere velle videtur: *quidam vero baculis quoque aut fuſtibus eum percutiebant*, etliche aber ſchlugen ihn gar mit Prügeln oder Stöcken. (i)

§. 7. Favet huic interpretationi prima atque nativa τῦ ῥαπίζειν ſignificatio. Nimirum citra controverſiam illud deſcendit à voce ῥάπις, *virga*, *baculus*, *fuſtis*; adeoque, ſi

(i) Eadem verborum interpretatio arriſit etiam THEODORO BEZAE, ERASMO SCHMIDIO, JOHANNI REIZIO, ac forte adhuc aliis, quos mihi videre non contigit.

primos ejusdem natales respicimus, *virga, baculo vel fuste aliquem cedere* designat. Certe HERODOTUS (k) de iis agens, qui virgis sive flagris Hellespontum regis Xerxis, jussu cecidérunt: ἐνετέλλετο, inquit, ῥαπίζοντας λέγειν βαρβαρά τε καὶ ἀνοίθαλα, h. e. *jubebat virgis seu flagris cædentes* (Hellespontum) *barbaris verbis atque vesanis eum incessere.* Idem (l) de ritibus in certaminibus Græcorum publicis servari solitis verba faciens: ἐν τοῖσι ἀγῶσι, ait, οἱ προεξανισάμενοι ῥαπίζονται, *in certaminibus intempestive surgentes baculis atque fustibus percutiuntur.* Iisdem fere verbis PLUTARCHUS: τὰς ἐν τοῖς ἀγῶσι προεξανισαμένους ῥαπίζουσι. (m) Et ut certo scias, quid ei τὸ ῥαπίζειν hoc loco designet, paullo post, ante dicta exponens quasi, addit: ἐπαρσαμένου τὴν βακτηρίαν ὡς πατάξοντος, *quum sustulisset baculum, veluti percussurus.* Eodem modo AELIANUS vocem usurpat. Hic scilicet agens (n) de Aspasia, Hermotimi filia: ῥαπισθεῖσα, inquit, πρὸς ἀνάγκην ἐνέδυ, *virgis antea vel fustibus cæsa, adeoque necessitate compulsa induebat*, vestem videlicet Persarum. Plura ejusmodi loca in medium adferri possent, si quidem id opus foret; sed ex jamjam allatis, ni fallor, perspicue satis adparet, τὸ ῥαπίζειν de iis proprie dici, qui virga, fuste vel baculo aliquem cædunt.

§. 8.

(k) *Lib. VII. Cap. 35.*
(l) *Lib. VIII. Cap. 59.*
(m) *In Themistoc. Opp. Tom. I. p. 117.*
(n) *Var. Hist. Lib. XII. Cap. 1.*

§. 8. Quemadmodum igitur propriæ vocis notioni noſtra non adverſatur ſententia; ita nec ab intentione ac ſcopo peſſimorum nebulonum, qui Chriſtum à Synedrio condemnatum omni contumeliarum atque injuriarum genere adfecerunt, multum aberrat. Quippe procul dubio non ignorarunt iſti, nihil ſe, quod ſummis Pontificibus aliisque Judæorum primoribus gratum magis atque acceptum foret, facere poſſe, quam ſi Jeſum Nazarenum tantopere ipſis inviſum indigniſſimis quibusque modis tractarent. Nullum igitur eſt dubium, quin optimum Servatorem ita ut acutos exinde ſentiret dolores, ferire voluerint. Hunc vero finem fuſte vel baculo facilius longe, quam pugno aut palma tantum adſequi potuerunt.

§. 9. Deniq; cum reliqua narrationis ſerie noſtra non male convenit interpretatio. Quam bene enim, amabo, hæc inter ſe cohærent: tunc in faciem ejus inſpuebant, atque colaphos ei infringebant; quidam vero baculis etiam fuſtibusque eundem percutiebant? Sane profecto, quid in iſthac narratione, quantum ad nexum verborum rerumque ordinem pertinet, deſiderari queat, ego quidem non video. MATTHAEUS ſcilicet, uti jam ſupra monui, hic per gradus veluti adſcendit ad ſummum, atrocem maxime injuriam, qua hominum peſſimi Chriſtum

ſtum capitis damnatum affecerunt, ultimo reſervans loco.

§. 10. Ex hactenus dictis facillime jam perſpici poteſt, quomodo τὸ ῥάπισμα Marc. XIV, 65. Joan. XVIII, 22. XIX, 3. reddi debeat. Si quando enim, quod antea probatum dedimus, τὸ ῥαπίζειν proprie nihil aliud, quam *virga, baculo vel fuſte aliquem cædere* ſignificat; tum ab eo deſcendens vocabulum ῥάπισμα *ictum virga, baculo vel fuſte illatum* denotet neceſſe eſt. Negare quidem non poſſumus, illud à plerisque citatis in locis de colaphis tantummodo accipi ſive alapis, iis maxime, quas palma duntaxat aliis incutimus. At vero non video, quæ nos ibi neceſſitas à genuino atque nativo dictionis ſignificatu recedere cogat. Immo graviſſimæ ſubſunt cauſſæ, propter quas eidem firmiter inhærendum eſſe cenſemus.

§. 11. Quantum initio ad Marc. XIV, 65. attinet, res ulteriori non indiget probatione. MARCUS enim dicto loco eandem, quam MATTHAEUS Cap. XXVI. comm. LXVII. mutatis tantummodo verbis, enarrat hiſtoriam. Quando igitur, id quod rebus evici neceſſariis, MATTHAEUS l. c. verbis: οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν, hoc innuit: baculis nonnullos atque fuſtibus DEI filium male mulctaſſe; tum quidem illud MARCI: ὑπηρέται ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον, non poteſt non

non reddi : *ministri baculorum ictibus eum cædebant.*

§. 12. Quod autem ad reliqua pertinet loca, & summi servum Pontificis Joan. XVIII, 22. & sævos Romani Prætoris milites Joan. XIX, 3. carissimum Servatorem non modo ludos facere, verum quoque doloribus eundem acerbis afficere voluisse, ad fidem quam proxime accedit. Huic autem fini obtinendo baculus aut fustis longe fuit aptior manu eaque porrecta. Quamvis enim neque illud nos valde delectet, si quis nobis palma faciem probe contundat ; fuste tamen vel baculo longe majorem alicui cruciatum afferri posse, quam quidem manu passa, neminem temere in dubium vocaturum esse confido.

§. 13. Immo quid multa ? milites Joan. XIX, 3. totius humani generis liberatori non aliquot duntaxat impegisse colaphos; sed baculo etiam aut fuste sanctissimum ipsius caput percussisse, MATTHAEUS juxta & MARCUS disertis testantur verbis. Καὶ ἐμπτύσαντες εἰς αὐτὸν, inquit ille, (o) ἔλαβον τὸν κάλαμον, καὶ ἔτυπτον εἰς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Hic vero: (p) καὶ ἔτυπτον, ait, αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καλάμῳ. Scio jam, quid mihi hic objecturus sis. De calamo, inquies, non de fuste vel baculo locis citatis sacri loquuntur scri-

(o) *Cap. XXVII. comm. 37.*
(p) *Cap. XV. comm. 19.*

ſcriptores. Ita eſt, negare non poſſum. At vero quando de calamo eſt ſermo, minime teneram ac tremulam quandam arundinem, cujusmodi magna in piſcinis noſtris atque paludibus copia reperitur, animo ſemper concipere debemus; de baculis quoque firmis ac ſolidis, quibus alicui, ſi res ita ferat ægre facere poſſis, ſæpenumero adhibetur. Certe caulis hyſſopi tam firmus & validus, ut ſpongiam aceti plenam ſuſtineret, quo, teſte JOANNE, (q) milites Servatorem in cruce pendentem ac de ſiti conquerentem, ut ſummos diutius perſentiſceret cruciatus, refecturi quodammodo uſi ſuere, *calamus* (r) diſerte dicitur argumento certiſſimo, id vocis aliquando firmum quoque baculum ſive fuſtem denotare. Sed quoquo tandem modo ſeſe illud habeat, ſufficit, quod MATTHAEI pariter & MARCI teſtimonio conſtet τὸ ῥάπισμα Joan. XIX, 3. hautquaquam de *colaphis ſive alapis*; ſed potius de *calami ſeu baculi cujusdam ictibus* eſſe accipiendum.

(q) *Cap. XIX. comm. 29.*
(r) *Matth. XXVII. 48.*

III;

III.

Almonii UTINIS,

Demonſtratio Theologico-Philoſophica, quod *Idea electi mundi optimi* a Deo, ſalva ejus ſapientia & libertate, removeri nequeat.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Origo & habitudo mali inveſtigata dedit occaſionem eruendæ Ideæ electi mundi optimi.* §. 2. *Diſquiritur, an Ill. G. G. Leibnitius tandem Ideæ illius doctrinam rejecerit vel luſus gratia tantum finxerit.* §. 3. *An Vener. D. Joachimus Langius eam ſolide refutaverit.* §. 4. *Demonſtratio ideæ mundi electi optimi* α *ex ratione.* §. 5. β *Ex Theologia.* §. 6. γ *Ex teſtimoniis humanis.* §. 7. *Epiſtola Leibnitii ad J. Fr. Buddeum.*

§. 1.

NEſciit orbis gentilis priſcus habitudinem mali, quod genus humanum præcipue infeſtat, cum ſummi Numinis bonitate componere, ac ea de cauſſa Aegyptii, Chaldæi, Græci ac Latini in miros cecidere errores, adeo ut ulla ratione ſeſe ex hoc labyrintho emergere ignoraverint. Ethnici non ſatis norant doctrinam de quorumdam geniorum

ac

ac protoplaſtorum prævaricatione, vel eam, uti fecit Plato, inauditis incruſtarunt fabulis. Egregie hoc indicat *Ed. STILLINGFLEET in Origg. ſacris L. III.* Inde propullularunt Gnoſticismi labes quædam omnisque Manichæismus, quem noſtra ætate Petrus Bælius valdopere admiratus eſt & pro inexpugnabili habuit. Sed quo ſcopo & animo Bælius ita ſenſerit, compertum non habeo. Jo. Chriſtoph. WOLFIUS, Hamburgenſis pleriſque Manichæismi innovati impugnatoribus palmam reddidit dubiam, uti videre ex ejus *Manichæismo ante Manichæos & inter Chriſtianos redivivo* Hamb. 1707. 8. Illuſtris G. G. LEIBNITIUS in *Theodicæa* egregiam ſane in refellendo Bælio navavit operam, ubi in calce analyticæ methodi, formæque ſyllogiſticæ beneficio ad oculum oſtendit, quomodo ludibria ægrique ſomnia non concinnaverit, ut quibusdam veræ ſublimioriſque Metaphyſicæ ignaris videtur. Periculoſiſſimi in hac controverſia ſunt ſcopuli, ſcylla & charybdis, quos qui medius tranſierit, indubie feliciſſimus eſt. Charybdin colunt, qui vel Deum vel coæternum aliquod principium pro auctore mali habent. In Scyllam incidunt, qui Pelagianismum vel SemiPelagiamismum fovent, peccatumque, & inde profluens malum phyſicum vel tollunt, vel cum Kingio, Clarkio aliisque juſto largius imminuunt. Attamen qui Deum dixere cauſſam

cauſſam peccati per accidens, (a) verbis, non re, a aliis Proteſtantibus diſcrepant, i d incautius putantur locuti. Nec abſolutum decretum ulla ratione Deum in cauſſam peccati convertit, nam qui cacodæmonas ſemel lapſos omnes juſte potuit ſempiternis addi ere cruciatibus, juſte etiam potuit (b) nonnullos hominum ſemel a avia in Adamo delapſorum ſupplicio æterno adficere. Egregie hæc proſecutus eſt P. JURIAEUS e *Pace inter Proteſtantes ineunda* c. VII p. 196. ſq. Ceterum J Fr. BUDDEUS recentiſſimas controverſias de origine m li excuſſit in Diſſ. *de Origine Mali* & in *Inſtitutionibus Theolog æ Dogmaticæ* L. II. c. i. §. 53. ſed cum eo r m aliter capientes conferendi ſunt Leil nitius in Theodicæa paſſimque in Epiſtolis, Chriſtianus Wolfius in *Metaph.* c. VI. §. 1057 ſq. Georg. Bernardus Bulfinger d *Permiſſione mali*, quibus injuria Theologi quidam ſunt moleſti, quum Ed. Stillingfleet in *Origg. Sacr.* L. III. c. 3. p. 942. Jacobus *Abbadie* de V.R.C. dextre & citra cujusquam offendiculum eodem tramite inceſſerint. Novum genus exortum eſt diſputandi, liberio-

(a) *Henr. Videburgii Hiſtoria certaminis inter Theologos Saxonicos MSta Quæſt. V.*

(b) Auguſtinus, Thomas, Scotus, Lutherus de ſervo arbitrio, ut fatentur G. Calixtus & Rintelenſes, ita etiam eſſe factum, docuere, conf. *Pauli Sarpii Hiſt. Conc. Trid.* L. II. p. m. 232.

ris ac naturalis Logicæ artificium. Dictitant Antagonistæ Ill. Christiani WOLFII, G. G. Leibnitium litteris ad Celeb. Ch. Matthiam Pfaffium datis fassum esse, integrum suum Systema Theodiceæ esse lusum ingenii, ut ipse Pfaffius memorat in Diss. de morte naturali p. 17. & ex eo Acta Eruditorum utriusque linguæ, tandemque Ven. Joach. Langius in *Modesta disquisitione novi philosophiæ systematis de Deo, mundo & homine* p. 29. & iterum p. 152. Dici certe non potest, quam solide nitideque Triumviri Leibnitius, Wolfius & Bulfingerus majestatem ter optimi Numinis cum permissione atque origine mali ex electione mundi optimi conciliaverint, non diffitentibus Viris adprime doctis. Inquirendum igitur duxi, an ullo pacto sit probabile, Leibnitium serio systema suum Theologico-Philosophicum ejurasse ac subruisse. Liceat mihi pace Virorum secus sentientium argumenta adferre, quibus doceatur, Leibnitium nunquam electionem mundi optimi abjecisse, Joachimum vero Langium minus sincere dextreque ratiocinatum videri in hoc momento contra Illustrem suum Antagonistam. Adjungam dein syllogistica rationum pondera tam ex ratione quam revelatione, ut intelligatur, licet Ill. Leibnitius systema suum risisset, illud nihilo secius stare immotum. Quod si præstitero, ad oculum ostendere laborabo, impugnatores istius Systema-

tis

tis minus tenuiter de Deo sentire, ac Spinozismo nimis videri favere, dum in contraria currunt.

§. 2. Primo quidem nulla ratione mihi fit verosimile, Leibnitio unquam ideam electi mundi optimi displicuisse. Tres jam efluxere anni, quum Celeberrimus Georgius de Eckart, nuper ad Pontificios transgressus, suo me dignaretur prolixo colloquio. Incidebam consulto in magnum data occasione Leibnitium, percunctatus, quo loco sint habenda, quæ Amplissimus Fellerus de obitu Leibnitii memoriæ prodidisset. Tum ille, Orbi, inquit, erudito imposuit, namque subito defunctus est ille carissimus fortunæ ac eruditionis meæ Patronus. Ante excessum nil vaticinatus, nil singulare locutus est, quin potius in latus se provolvens, mitra supra oculos tracta; è continenti exspiravit. Instabam interrogando, quo pretio habuerit ille systema suum Metaphysicum, quod multi traducunt veluti dicis gratia & ad tegendum Atheismum procusum. Respondebat Vir ille doctissimus. Bone Deus, quam lepide vulgus delirat. Quum de Numine loqueretur, putasses eum serio ac ardentissime ex ambone sacro dixisse, Systema philosophicum veritati Geometricæ insistere, dictitabat, nec unquam à perito rerum judice repudiatum iri. Quæ nam porro fuerimus collocuti, omitto, ab hoc loco aliena. Il-

lud tamen monendum videtur, auctorem Ill. quantum ex scriptis velut ex ungue leo dijudicatur, ad extrema vitæ tempora iisdem doctrinis infixum perstitisse. Quod si enim lubet *Otia Hannoverana* vel commercium epistolicum sibi cum Sam. Clarkio intercedens pervolvere, tum profecto videmus, auctorem prius vita fuisse privatum, quam systematis sui defensione. Noverat Theologorum plurimorum suspiciones & de rebus abstrusioribus consequentias, non Geometricas, quas plerumque horrent, sed sæpius inconsequentes. Quare sæpenumero scenæ serviit ac veluti nautis Italis rosarium ostentavit, ne odium sui & argumentum ab invidia ac ignorantia ductum sentiret. Veritatis hujus fructus percipit Christianus WOLFIUS, qui ab iis pressus ac hæreseon, immo Spinozismi postulatus est, qui hæretificationes, ac quorundam orthodoxiam veluti nimis servilem aliquando aversati sunt. Non desunt, qui deductiones politicas, contemptum receptæ per Saxoniam philosophiæ, commoda privata, amplificationes suorum domesticas, invidiam ad plausus Mathematici ac Philosophici, suspicionem erga methodi Geometricæ ignotæ accurationem nimiamque pro Theologica mente eruditionem philosophicam pervidisse volunt. Substituerant osores Wolfii ejusque numerosissimi cœtus hominem quendam ingratissimum

mum ac primoribus labris elementa Philosophica deguſtantem, qui veteranum laniſtam ſuumque præceptorem, inſtar tironis ac andabatæ, ignominia adficeret. Sed juvenilibus auſis publice refrenatis acutiora ac majora ſubnectebantur conſilia, inſidiæ, miſſitatæ litteræ. Quæ cum in medio relinquo, longe plura accuratius compertus quam heic in apricum proferre animus eſt, id ſane Leibnitio aliquando non fuit vitio vertendum, quod animum ſuum diſſimulaverit, ne crabrones irritaret. Id probabiliſſimum eſſe puto, ſi Leibnitius ejusmodi nec alterius ſenſus litteras ſcripſit, invidiam eum doctorum eccleſiæ abhorruiſſe, tamque ſubridentem epiſtolam dicis gratia exaraſſe. Qui enim Petro Bælio vel Poireto impoſuit in orbis terrarum luce, quidni uni VIRO clanculum frigidam ſuffunderet? At vero, quis putet Leibnitium publice pro deliro voluiſſe haberi & privatim pro ſapiente? Anne Anglis perſpicaſſimis homo famæ honeſtiſſimæ ſtudioſiſſimus nugas venditare & ſe toti orbi deridendum proponere voluiſſet? Non puto. Famæ minus erat noxium, uni frigidam ſuffundere quam multo plurimis. Nec dum adparet, quomodo ſyſtema Leibnitianum ſit fallax & ridiculum. Si enim tam eſt noxium, quam quidam perſuadere laborant, cuſtodes orthodoxiæ fuerunt ſomniculoſi & ſui officii tamdiu nimis

immemores. Neceſſarium erat prudentiæ eccleſiaſticæ, principiis obſtare & lolium in herba exſtinguere, antequam malum ulterius ſerperet. Non enim aut Leibnitius aut Wolfius in angulo clandeſtino vel ſcripſerunt vel docuerunt. Recordor equidem, Celeb. Buddeum de *Origine Mali* Diſſ. habuiſſe, qua modeſte ſatis, partem Theodicææ ſub examen vocavit. At, qui ſapientiam Dei à permiſſione mali ſeparant, præſcientiamque omnium futuribilium inſuper habent, præterea tantum ad quoddam tempus, exiguamque partem univerſi, extra harmoniam univerſalem reſpiciunt, næ illi, ſcylla evitata, in charybdin incidunt. Audivi tamen, Buddeum Leibnitio mirificas tribuiſſe laudes, idque ipſum poſt habitam Diſſ. epiſtolamque Leibnitii acceptam, quam commentationi huic ſubjecturus ſum.

§. 3. Noli putare, lector, ideam electi optimi mundi a Celeb. Joachimo Langio fuiſſe profligatam, nam (1) ipſa dijudicatio de hoc delectu arbitrio lectoris & in medio relinquitur l. c. p. 28. nec non connexa ideæ illi poſſibilis mundorum pluralitas p. 29. (2) Licet refelli hæc idea fuiſſet tentata, plane tamen eſſet improbabile, refutationem illam recte inſtitutam. Namque impugnator vim demonſtrationis Mathematicæ non intelexiſſe videtur, partim quia eam numquam exercuit, partim quia Euclidea ac Mathema-

tic

tica parum novit, unde non est artifex hujus solertiæ. Adfectat quidem methodum Geometricam, cujus Wolfium judicat imperitum p. 233. & quem velut tironem suum docet, *Genuini*, inquiens, *demonstratoris est, theses seu propositiones catenata serie exhibere easque secundum præmissa aut jam alibi concessa postulata tanquam principia, argumentis instruere nec ad novam propositionem accedere, nisi antecedens evidenter probata sit.* Fateor sane, eam methodum esse P. D. HUETII in *Demonstratione Evangelica*, J. Fr. BUDDEI in *Theologia Morali & Dogmatica*, Joach. LANGII in Disputationibus & quibusdam disceptationibus aliorumque, quos neutiquam ideo carpo, quia methodus cujusque vel a natura disciplinæ vel ab arbitrio scriptoris dependet. At geometricam hanc esse demonstrandi methodum, neutiquam credet, qui vel reapse eam exercuit, vel legit Euclidem, Weigelium, Leibnitium, Wideburgium, Wolfium, aliosque, ac quæ WIDEBURGIUS Jenensis in Progr. de *Methodo Mathematica singulis disciplinis adplicanda*, WOLFIUS in *Logica*, initio der Anfangs-Gründe/ & Elementorum Mathematicorum recte scripserunt. *Methodus Mathematica est series evidens conclusionum ex definitionibus veris & axiomatibus.* Definitio nominalis colligitur ex usu vocis in vita communi, vel, si lingua e mortua constat, e significatus certi apud auctores possibilitate, ac aliorum significatuum impossibili-

 bili-

bilitate vel inconvenientia, Lexicis, Glossariis, linguis cognatis, versionibus in notiores linguas addiscenda est. Definitio realis petitur ex modo & generi rei quam addiscimus vel ex propria actione vel ex experimento vel ex effectu, qui aliter existere nequit. Utraque differentiam continet, ut vox vel res distincte & quatenus ab aliis rebus omnibus diversa est, cognoscatur. Quodsi unica differentia nos expedire possimus, brevitas clara super acuæ prolixitati anteferenda est; Sin vero id fieri nequeat, virtutes ac propria sunt colligenda, ut ex omnibus simul sumptis differenti innotescat. Axioma est propositio per se evidens, vel etiam, quæ ab omnibus hominibus verba, quibus propositio constat, intelligentibus pro vera admittitur. At Langii Methodus est, qua ex placitis disputatur; qua judicium rei, quæ in calce dicitur cum ceteris penitus consutata, lectori permittitur; qua propositioni numeris quibusdam subjectis innectuntur verba pro auctoritate fusa, dicta scripturæ, suspiciones de pejori auctoris sensu; qua hæreses adversario objiciuntur, imperitia methodi Geometricæ, Thrasonismi ac similia portenta ut olera cum rapis coëant, lupique cum hoedis. Quodsi velis ea convellere, quæ methodo Mathematica sunt conscripta, non debes, more sacerdotibus quibusdam usitato, per consequentias disceptare, quod odiosum est, nec per hæreses impactas vel titulos librorum virulen-

rulentos ac Pontificio fulmine tinctos, ſed per (1) principiorum & eorum, quæ pro axiomatibus aſſumpta ſunt, falſitatem vel veritatem non univerſalem, ſed reſtrictam, & a loco alienam; (2) per demonſtrationem, quod definitiones ſint nimis laxæ vel nimis anguſtæ, vel penitus falſæ; (3) attendas licet ad nexum inter concluſiones & principia, quibus illæ inſiſtunt, an ille ſit arctus ac ſincerus, an vero ſubreptitius & laxus. Sed quid Joach. Langius monuit de Axiomatibus: Quicquid eſt, illud eſt, Nihil ſimul eſt, & non eſt ſub eadem conditione & momento, omnis res creata ſufficientem rationem ſui habet, adſentiendum eſt ei theſi, quam ratio prævalens vel ſufficiens firmat, non dantur æqualia &c. Certe nihil monuit. Quid de definitionibus? Nihil neceſſarii. Quid de nexu propoſitionum? Aegre fert, priores ſemper paragraphos eſſe numeris repetitos, quaſi id demum ſit ſua demonſtraſſe; Et quaſi id ſit refutaſſe, numeros paragraphorum carpſiſſe, quibus adjuvari poterat ad debitum nexum concluſionum examinandum. Sed maleficium pro beneficio rependitur. Fatalem ubique increpat neceſſitatem, quam in Wolfianis philoſophematibus vidiſſe ſe videtur, non diſtinguens cum Wolfio inter Geometricam & Moralem, nec cognoſcens, demonſtrationem ſapientiæ divinæ catenatam ſeriem exhibere, quum tamen concedat,

id

id genuini demonſtratoris eſſe. Ergō forte Deum pro demonſtratore ſapientiæ non habet. Quum Petrus Suavis in *Hiſt. Conc. Trident.* L. II. p, 232. 233. determinationem rerum ſpiritualium ante mundum factam recenſuiſſet, Thomæ, Scoti aliorumque calculo comprobaſſet, tandem ſubdit: *Iſtam tamen opinionem oppugnabant alii non tanti nominis Theologi duram, crudelem, inhumanam, horribilem, impiamque voeantes --- Prior certe ſententia magnum complexa myſterium & arcanum, mentem hominis humiliabat, atque hinc deformitatem peccati, illinc gratiæ divinæ excellentiam intuentem, abjecta protinus ſui fiducia, in Deo plane defigebat. Altera vero magis plauſibilis, popularis, ſpecioſa, & augendo mentis humanæ faſtui accommodatior, hoc ipſo & gratior erat fratribus, artem potius prædicandi, quam accuratam Theologiæ cognitionem ſemper profeſſis; & Aulicis probabilior videbatur, quippe conſentanea rationibus politicis.* Neſcio ſane, an quis alius luculentius Illuſtri Wolfio oſtenderit, certitudinem rerum, non abſolutam inferre neceſſitatem. Si omnia ſemper penes Deum fuerunt præſentia ſimul ac certa, ergo fuerunt etiam determinata vel per virtutes rerum poſſibiles, jam actu tales, vel per finitudinem illarum, unde malum & permiſſio mali profluunt. Si nexus rerum eſt determinatus, ergo etiam eſt neceſſarius, at non abſolute, quia Deus res aliter poterat determinare. Quodſi determi-

na-

nationem illam Langius infitiatur, tollit simul præscientiam Dei vel eam cum Socinianis putat esse in rebus contingentibus probabilem. Præscientia ejusmodi reddit Deum discipulum & quotidie certi aliquid addiscentem, in quo nullus mortalium certam spem & fiduciam collocare potest. At Langius disputat ex *argumento ab invidia ducto*, namque (1) impingit adversario *heterodoxiæ crimen*, quasi iste tot dicta scripturæ, quæ ei objectantur, nec legerit, nec vera esse credat, Verum Philosophus, qua talis, diversum habet principium, diversumque forum. Sunt & fuerunt sane Theologi ac Philosophi celeberrimi, qui geminam diversamque, immo contrariam veritatis viam profluere putarunt ex ratione & S. Scriptura. Halenses etiam quosdam, ipsumque Illustrem Seckendorfium ita statuisse recordor. Quodsi Wolfius ex professo S. litteras & philosophiam inter sese miscuisset ad unum inde conflandum systema, quid *Facultates Theologicæ* fuissent obmurmuraturæ? Wideburgius Jenensis non ita pridem excudendam curaverat Dissertationem de *Luce primigenia ad illustrandum Gen. I. 2*, At, bone Deus, quantus inde exoriebatur Theologorum fremitus, & quam injustum videbatur, Mathematicum in Theologicam messem immisisse falces! Si illustris Wolfius dictis Scripturæ farsisset Matheſin ac Philosophiam ordo Theologicus excanduisset; at quia omi-

sit

sit vel non semper ad ea respexit, etiam rodi-
tur. Veritas Theologica sæpissime supernaturali innititur fundamento ac miraculis, quæ a Philosophia exsulant. Si in nostro tractu, ad eundem latitudinis gradum australem promovendo, nulli sunt albicantes candidique corvi, ergone in extrema Lapponia ii non sunt obvii? Porro (2) Langius Mathematico omnis ætatis inclytissimo objicit ignorantiam methodi Geometricæ p. 233. idemque repetitur in germanica versione *Modestæ Disquisitionis* verbis rotundis. Utri credendum est in sua arte? Artificine viginti annos & ultra unum idemque professo, an matheseos imperito, Logicæ artificialis ac syllogismorum hosti, ac philosophiæ solidæ meræque contemptori? Quis sibi a risu temperaret, si sutor sartorem, multis annis cum laude opificio suo vacantem, reformaret & exagitaret? Quin refutantur ea, quæ in fronte Elementorum Mathematicorum Wolfii de Methodo Mathematica dudum fuere conscripta? Vel potius Algebraica eadem methodo concinnata? Si unus calceus ad justam formam ac normam confectus reprehendi nequit, quare alter ad eundem modum exactus fideliterque efformatus exsibilatur ac contemptui exponitur? Eadem methodus occurrit in Elementis ac in Philosophia Wolfiana. Invident ceteri litteratorum hanc methodum Mathematicis, nec ferre possunt, ope Matheseos ideis distinctis

ctis ac catenatis efformandis adſuefieri. At, ſi experientiam conſulo, hoc malum inde propullulat, quod vel ipſi Matheſeos plane, certe potiſſima ex parte rudes ſunt, namque ars non habet oſorem niſi ignorantem; vel quod in uno alteroque, methodi iſtius ac Matheſeos gnaro, abuſum quendam notaverunt, quem ſcientiæ adſcribere vel ejus formæ, inſulſum eſt. Miratus ſum ſæpius, quare Muſici, ſaltatores, Chymici, pharmacopolæ, olim Magi, charactere occulto neminique, niſi artis ſuæ conſorti, noto ſcientias ſuas pertractaverint, immo Algebraici imitati ſint idem, Philoſophi vero nondum tentaverint. Hac ſane ratione profani alteriusque doctrinæ cuſtodes nil poſſent carpere, niſi quod prius intelligere cœpiſſent, ſimulque philoſophi non forent tot injuriis temporum expoſiti. Nunc vero nulla, licet ſolidiſſima, alicujus philoſophicæ veritatis inventio carere poteſt obtrectationibus. Inſignibus quidem auſis orbis ſolet obtrectare. Antipodibus Auguſtinus, Lactantius, Zacharias oblatrant, ex ipſa S. Scriptura. Cur jam omnes tacent? Motum terræ adſerere, olim erat piaculum. Cur jam plurimi Theologi iique præſtantiſſimi eum adſerunt? Puffendorfii Jurisprudentiæ naturali oblatrabant permulti Theologi, Illuſtris ipſe Seckendorfius cum ſuis. Cur jam a Theologis laudatur, ac, ut publice exponatur, permittitur? Quia do-

ctorum maxima pars, ritu plebis, præjudiciis auctoritatis regitur & abripitur, immo quia invidia in vivos, æquales ac coætaneos semper est major, eamque mors exstinguere solet. Deinceps (3) ex objectione Stoicismi, Spinozismi, Leenhofianismi patescit argumenti ab invidia ducti forma. Namque *salvam aliquam utriusque differentiam* inter ista monstra ac doctrinam Wolfianam D. Joach. Langius concedit p. 138. Eadem, credo, ratione Muhammedismus, Socinismus, Arminianismus salva aliqua differentia impingi potest antagonistæ. Totus orbis in notionibus quibusdam compositis convenit. Spinoza statuebat esse aliquem mundum. Quis hoc negat? Sed quod absolutam in omnibus necessitatem doceret, id non comprobatum est a Wolfio. Vid. Metaph. §. 575. sq. Spinoza Deum & mundum esse putat eundem: At Wolfius Deum a mundo distinguit l. c. §. 939. 940. Spinoza animam habet pro materia: At Wolfius demonstrat ex legibus corporum & materiæ, animam esse materiæ expertem l. c. §. 738-741. Spinoza nullos vere dictos dari existimat spiritus: Wolfius ostendit, & largitur, eos dari & quidem materiæ expertes l. c. §. 896. 738. Spinoza unicam substantiam, unicamque personam (æquivoce) largitur, præterea nullam: At Wolfius simplicia etiam arbitratur esse substantias, & singulos homines esse personas

l.

l. c. §. 925. Spinoza statuit impossibilitatem plurium mundorum possibilium: At Ill. Wolfius omnipotentiam ac intellectum Dei magnifice repræsentat; quippe continentem plures mundos possibiles, quos etiam in Leucorea publice consentiente ordine Theologorum ac Philosophorum, defendit M. Jo. Gothofr. FORBIGERUS Vitemb. 1704. 4. de *Possibilitate Pluralitatis Mundorum.* Spinoza unicam eamque absolutam statuit necessitatem: Wolfius vero & absolutam & Moralem explicat l. c. §. 575. Spinoza nexum hujus universi explicat per absolutam necessitatem. At Wolfius per Moralem, qua contingentia non tollitur l. c. §. 576. sqq. Spinoza contingentiam omnem tollit: At Wolfius eam tuetur & stabilit l. c. §. 581. Spinoza æternitatem mundi intrinsecam actualem defendit: Wolfius extrinsecam possibilem, non actualem l. c. §. 1075. Distinxerat Wolfius æternitatem Socinianam, * quæ successionem involvit, ab æternitate Dei, §. 1075. At Langius l. c. p. 22. ita: *Quid sibi vult tempus, quo mundus æternus Deo æternum coëxstiterit infinitum? Anne, tempori proprie sic dicto, infinitatem tribuere, contradictorium est? Et si mundus ratione initii sui est infinitus, quomodo ratione durationis a Deo differt?* At miror, Ven. Langium hæc non posse capere, æternitatem mundi possibi-

* conf. *Jo. Adami Scherzeri Collegium Anti-Socinianum Ed. 3. Disp. V. p. 47. sqq.*

bilem esse diversam ab æternitate intrinseca; ac actuali, quum tamen æternitatem mundi extrinsecam possibilem concedant Scholastici Pontificii, Reformati ac Evangelici. Nonne luculenter eam comprobant *Georg. Calixtus in Epitome Theol. Disp. III. §. 7.* *Henricus Wideburgius in Systemate Theologiæ positivæ c. VII. Theor. I. p.* 197. aliique Evangelici. Nam si æternitas mundi extrinseca est doctrina contradictoria, ergo Deus aliquando sive ab æterno non potuit creare mundum & sic postea potentiam accepit, qua aliquando caruit. Vide novissimam philosophiam, quæ incrementa ponit omnipotentiæ divinæ. Anne, omnipotentiam augeri nova potentia, contradictorium est. Si vero Deus semper & ab æterno eadem omnipotentia fuit præditus, ergo etiam ab æterno mundum potuit creare. (a) Si porro æternitas mun-

(a) At vero; anne hoc quoque contradictorium est? Creari, & tamen ÆTERNUM esse? ÆTERNUM est, quod nunquam non fuit, quod non potentia, sed semper actu fuit, quod expers est initii, quod est necessario, quod non transiit a non esse ad esse; quod a nemine dependet. Quodcunque autem creatur, aliquando non fuit, non semper actu fuit, a non esse ad esse transiit, non est necessario, sed ex libera creatoris sui voluntate, & ab eo dependet. Non video itaque, qua ratione aliquid dici potest æternum, & tamen creatum esse. Neque ex DEI omnipotentia sequitur ab *æterno* eum aliquid *creare*

mundi est ex classe earum rerum, quæ potuissent fieri, ergo etiam *series mutabilium* æterna est possibilis. At series mutabilium est tempus, ergo tempus æternum sive infinitum est possibile. Ad hæc essentiæ rerum sunt æternæ, Deoque semper fuerunt præsentes. At Deus semper fuit omnipotens, ergo ab æterno essentias potuit conspicuas reddere, hoc est, per eductionem ex nihilo & possibilitate in actum deducere. Objectiones ac fabricæ consequentiarum Langianæ ortæ sunt hoc loco ex defectu intellectus puri ac imaginationis adfluentia, nec non ex siniſtra *temporis notione*, quod non est duratio. Nam duratio est diutior particularum in eodem loco eademque forma perseveratio. Vulgus

potuisse. Ex ea quidem recte concludimus, eum ante innumerabiles sæculorum myriades potuisse mundum condere, non autem inde conficietur, id eum potuisse facere ab *aterno*. Id enim implicaret contradictionem. Contradictoria autem Deus facere nequit. Omnia quidem Deus facere potest, quæ non repugnant summis ejus perfectionibus. Quae repugnant, ea ne facere quidem posse censendus est. Sic non potest se ipsum abnegare, fallere, mentiri, peccare, auctor peccati esse, facere, ut quod factum est, fiet infectum, contradictoria efficere. Id enim contrariaretur virtutibus entis summe perfecti. Cum autem contraria sint, ÆTERNUM esse, & CREATUM esse, patet Deum mundum ÆTERNUM CREARE ne potuisse quidem. T. d. *H.*

novit optime, quid sint panis, caseus, domus durans. Ex communi sermone notiones ac definitiones nominales componendæ sunt, simulque, quid vulgus nobiscum per hanc illamve vocem denotet, adtendendum est. Nix, quæ non durat, sed cito fit, citissimeque perit, est in tempore, at duratio ei nequit tribui. Est igitur tempus *ordo mutabilium invicem succedentium, & ordo est conveni-entia multorum in uno.* Si Auctor *Leibnitiana miscellanea* curate expendisset, incautam illam temporis definitionem per *durationem* non recoxisset. *Quod caret alterna requie, durabile non est*, i. e. non habet durationem, es hat keine Dauer. Ergo etiam caret tempore, si duratio est tempus. Tandem (4) argumentum ab invidia ductum ex eo patescit, quod D. Joach. Langius in calce modestæ disquisitionis velit cuncta per placitorum morem disputata vel elusisse vel, si sua fuerint, firmissime stabilivisse. At exemplo sit *pluralitas mundorum possibilis* quam p. 29. nec non *mundi optimi electi idea*, quam p. 28. non tangit, nec refellit, ipsamque potius dijudicationem lectori permittit.

§. 4. At pergere e diverticulo liceat ad argumenta, quibus syllogistice *ideam mundi optimi electi* roboremus.

I. Quæcunque doctrina intellectum ac omnipotentiam Dei, sine imperfectione ulla essentiæ admista, sublimiorem ac ma-

gis

gis auguſtum reddit, illa eſt bona, **A.** Doctrina de idea mundi optimi electi reddit intellectum ac omnipotentiam Dei - - Major per ſe patet. Minor inde probatur, quia *Dei intellectio* tum eſt amplior, quando infinitas eſſentias præter eas, quas hic orbis capit, intelligit, quam, ſi præterea nullas contempletur ideas; & quia Dei omnipotentia redditur auguſtior, ſi animo infixum ſit noſtro, illum præterea multa ſyſtemata univerſi poſſe creare & ex nihilo producere.

II. Si ſubſtantiarum hujus univerſi plurimæ poſſibiles ſunt combinationes tam ratione loci quam temporis, ergo utique ſapientiſſimo Numini vel præſto fuit ratio aliqua, quare ſitum ſubſtantiarum ita eſſe, uti eſt, voluerit, vel nulla ei fuit ratio. **A.** Verum eſt prius ex cujusque experientia & quantulacunque regulæ combinatoriæ adplicatione. **E.** Etiam poſterius. Si Deus citra ullam rationem ſitum ac ſucceſſionem ſubſtantiarum voluit, ergo non egit intelligentiſſime & ſapientiſſime, ſed cœco impetu, quod adfirmatu foret blasphemum. Ergo aliqua ei fuit ratio, cur non aliam ſucceſſionem & collocationem ſubſtantiarum voluerit, ac eam, qua orbis conſiſtit.

III. Ubi plures modi ſunt poſſibiles, unus

vero cum ratione ac ſumma ſapientia ceteris anteponitur, ac[illegible]ctum deducitur, ibi eſt electio. A. In creatione univerſi Deo plures modi & ſitus & ſucceſſionis erant poſſibiles, unicus vero tantum modus cum ratione ac ſumma ſapientia in actum deductus eſt. Ergo in creatione fuit electio. Electio enim eſt unius vel aliquorum e pluribus cum ratione, ſegregatio.

IV. Quæcunque doctrina hanc electionem negat, Deoque ita ſimul, cum plures modi ſaltim ratione temporis & loci eſſent poſſibiles, rationem & ſapientiam denegat; illa cœcum impetum Deo creanti tribuit, & per conſequens credit Deum Spinozianum, ſine ratione ac ſapientia agentem. A. Illa doctrina, quæ hanc electionem rejicit, vel improbat, hanc electionem negat - - Ergo illa cœcum impetum Deo creanti tribuit.

V. Quidquid ego cogitare poſſum, id Deus eminenter & remota imperfectione etiam cogitare poteſt. A. Ego plurimos alios univerſi ordines poſſibiles, orbesque diverſos, qui novum univerſum poſſunt conſtituere, cogitare poſſum. Ergo idem Deus eminenter poteſt. *Major* elucet ex perfectione Dei & quia meæ cogitationes intellectui ejus ab æterno fuerunt præſentes. *Minor* liquet ex experientia, ex Hercule, Herculisco, Artamene, Robinſo.

ſoniis, Sevarambis, Campanellæ civitate ſolis &c.

VI. Ubicunque unum in actum deducitur, & tamen plura ſunt poſſibilia, ibi unum præ pluribus electum eſt, niſi adfuerit caſus & cœcus impetus. A. In creatione unus mundus in actum fuit deductus (teſte experientia, ratione & S. S.) & tamen plures mundi fuerunt poſſibiles (ſecundum Syll. V.) Ergo unus mundus præ pluribus electus eſt.

VII. Omnis electio eſt vel electio meliorum vel pejorum, nam inter æqualia nulla datur electio præponderans. * Electio divina mundi unius præ pluribus eſt electio. Ergo Electio divina mundi unius præ pluribus eſt electio vel mundi melioris vel pejoris.

§. VIII. Quicunque eſt infinite ſapiens & bonus, ille bona, immo optima eligit, ſi ipſi ſit libertas. A. Deus eſt infinite ſapiens & bonus, & ab omni coactione tam interna quam externa immunis. Ergo Deus bonum, immo optimum elegit mundum.

§. IX. Quicunque eſt æternus, cujusque intellectus nulla unquam nova idea augetur, ille, quicquid agit, ſemper ſecum contemplatus eſt. A. Deus eſt æternus

* Nec dantur æqualia tam ob cognitionem, quæ diverſitatem requirit, quam ob identitatem & unitatem.

ejusque intellectus nulla unquam nova idea augetur. E. Deus optimi mundi electionem semper secum contemplatus est.

Corollaria 1. Ergo idea electi mundi optimi sua luce radiat.

2. Quicunque credit, quod Deus alium mundum creare non potuerit, ille Dei ideas reddit imperfectiores ideis nostris v. Syll. 2. 3.

3. Quicunque Deum putat, unica tantum ratione, unicum modo potuisse producere mundum, ille Deo tribuit coactionem internam, eique libertatem adimit.

4. Si hic mundus cum tota ac singula sua compage & ordine omni non est optimus, tum Deus creator nec satis adhibuit sapientiæ nec satis bonitatis, Apage blasphemiam!

5. Si hic mundus est optimus, ideoque, quia talis est, a Deo electus, tum sane omnes in eo secuturi eventus ei fuerunt notissimi. Nam quomodo Deus alias noviſſet, hunc omnem mundum simul sumptum, fore optimum?

6. Si singula Deus præscivit, quæ in orbe erant secutura, ergo eventus rerum sunt certi penes Deum, omnisque earum nexus ac successio sunt certi.

7. Sin vero aliter evenirent, ac Deo perspectum est, tum Deus erraſſet, vel, quem-

quemadmodum Socini proles blasphemat, probabiliter tantum eventus præsciviſſet.

8. Quicunque igitur ſapientiſſimum rerum nexum carpunt, illi vel ſe ipſos refutant, neſcientes, quid velint, vel adorant Deum quotidie addiſcentem, vel exiſtimant, Deum omnia immediate voluere, neglectis attributis creaturarum ac libertate humana, ut ſenſim Deum reddant etiam peccati auctorem quod eſt Böhmianum, & Fanaticum.

Agendum heic fuit cum Chriſtianis ac Philoſophis moderatis, ideoque ea, quæ tres Imperii Germanici religiones admittunt pro veris, non ulterius fuerunt evicta, ſed inſtar principiorum firmiſſimorum poſita. Qui vero nexum illum adhibent per abuſum, ad hanc doctrinam fati Stoici ac Spinozismi arguendam, illi nimis tenuiter, ex imaginationis abundantia, de Deo ſentiunt, nec exiſtimant, ſubſtantias per attributa eſſentialia ac combinationem ſemel inſtitutam agere, ſed Deum ſemper immediate agere ac ſupernaturaliter, quod Deo indignum eſt, uti novimus ex controverſia de *Idolo naturæ*. Si recte diſtinguatur inter *fatum cœcum*, *Turcicum*, quod libertatem hominis excludit, & *Chriſtianum*, quod actiones humanas liberas, a

Deo prævisas † nexuique rerum divinitus insertas, non excludit, tum omnis res in vado est.

§. 5. At pergere liceat ad literas diviniores, ad scrutandum, numquid ea ideæ electi mundi optimi repugnet. Quæ cum volvo ac revolvo, varia sese mihi offerunt momenta, quæ ideam illam adserunt, juvant ac confirmant. Quis ignorat, creationi hujus universi enarratæ subjici: *Et ecce, omnia erant optima.* An putas, Deum tum præteriisse protoplastorum insecuturam labem, indeque eam pergentem ad omnes Adami posteros, naturaliter genitos? Γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ Act. XV, 18. Lapsus Adami sane non est opus Dei, sed hominis libertate abutentis. At quomodo Deus ante jacta mundi fundamenta propositum gratiosum de redemptione per Christum 2. Tim. I, 9. electionem quorundam per Christum Eph. I, 4. agnitionem Dei sub N. T. futuram 1. Cor. II, 7. determinasset, nisi peccati origo & labes ei fuisset percognita. Anne Deus non noverat, paucis inde horis post opus creationis perfectum

† Augustin. L. III. *de Lib. Arbitr. c. IV. T. I. Colon. Per præscientiam Dei mihi potestas non adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.* Hornbek. T. I. Socin. Confut. f. 352. *Prævisa necessario futura, sed non necessario futuranda sunt.*

ctum protoplastos fore lapsuros? Nemo, credo, negat. Nemo dubitat. Nihilo tamen secius, omnia erant valde bona. Quicquid vero Deus exsequitur in tempore, illud ei ab æterno fuit compertissimum. Atqui absoluto creationis opere aderat mundus optimus, non obstante mox secutura prævaricatione, ergo eum ab æterno sibi ceu talem Deus proposuerat ac præsentaverat. Porro in Deo est summa libertas, namque ejus auctor & origo est. 2. Cor. III, 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν· οὗ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία, *ubi spiritus Dei, ibi libertas.* Libertas vero est oppositum coactionis. Coactio interna est, quando effectus unico tantum modo sese exserere potest. Coactio externa est, siquid est extrinsecus, cui illud, quod effectum intendit, resistere nequit. Externa non est penes Deum, quia materia omnis sese habet passive, & ipse est omnipotens. Coactio interna & mechanica ei non inest, quia semper est omnipotens. Ergo libertas Dei coactioni utrique est opposita. Corollarium hinc manat, Deum in creatione mundi, potuisse pluribus modis, pluresque adeo mundos quam hunc producere. At Deus est tam sapiens quam liber. Sapiens habet præfixum finem optimum, quantum cognitio ejus patitur. Cum autem Deus sit intellectu infinito ac cognitione perfectissima præditus, ideo finem optimum semper ob oculos habet propositum. Inter finem ac

adminicula est justissima proportio. Mundi creatio ad finem certum eumque optimum fuit directa, ejusque obtinendi fuit adminiculum. Ergo mundus hic est optimus, quia inter optimum finem optimumque medium justa datur proportio. Omnia igitur corollaria, quæ debito nexu ex hac idea mundi optimi eliciuntur, sunt verissima.

§. 6. Ideam electi mundi optimi, ni fallor, Plato explicate enodare ac explicare primus studuit. In Timæo eam satis prolixe ostendit ex natura Dei & effectu. Ibi pag. 478. Ed. Henricpetr. Ει μεν δη καλος εστιν ὁδε ὁ κοσμος, ὁτι δημιουργος ἀγαθος, δηλον ὡς προς το ἀιδιον ἐβλεπεν. -- καλλιστος δεδημιουργηται-Βεβληθεις γαρ ὁ Θεος ἀγαθα μεν παντα, φλαυρον δε μηδεν ειναι κατα δυναμιν -- ἡμις υτ' ην, υτ' εστι τῳ αριστῳ δρᾶν ἀλλο, πλην το καλλιστον. *Siquidem bonus ac pulcher est hic ipse mundus, conditor quia bonus est, manifestum est, quomodo ad perpetuitatem Deus respexerit-Optimus conditus est-Voluit enim Deus ut omnia equidem bona, inutile minusve bonum vero nihil esset, quantum fieri per essentiarum habitudinem poterat - Nec fas est nec æquum, ut optimus faciat aliud præterquam optimum.* Cicero hæc ita vertit: *Nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nil admiscere, quoad natura pateretur - - Fas autem nec est nec unquam fuit, quicquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus.* Undenam Plato hæc hauserit, sacramento contendere nequeo. Probabi-

le

le tamen est, Pythagoricum dogma de *harmonia* huic doctrinæ præluſiſſe. Nam Pythagoras est, qui primus την των ὁλων περιοχην, *complexum universorum*, adpellavit κοσμον, απο της εν αυτω ταξεως *a pulcro ordine, qui in eo est.* vid. *J. Lipsius in Physiologia Stoicorum L. II. Diss. 6. Quem* κοσμον *graeci nomine ornamenti appellaverunt, eum & nos a perfecta absolutaque elegantia mundum*, ait Plin. H. N. L. II. c. 4. אדמה eandem exprimit venuſtatem ac pulcritudinem, ſi derivationis originem cum Jobo Ludolfio ex Aethiopia Abeſſinica repetere animus est. Cicero de *Natura Deorum* L. II. p. m. 303. *Sed mundus, quoniam omnia complexus est, nec est quicquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? nihil autem est mente & ratione melius. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adjungens, omnia in perfectis & maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equulo: in cane, quam in catulo: in viro, quam in puero: item quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. Est autem mundo nihil perfectius.* Eadem mente fuerunt imbuti, qui erant de familia Zenonis. Seneca L. VII. de *Beneficiis* c. 7. p. 840. *Tom. I. Ed. Amstelod.* 1673. 8: *Sic & totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum.* Macrobius in *somn. Scip.* L. I. c. 14. p. 59. *Ed. Gryph. Bene universus mundus Dei templum vocatur* - - Mundum in gloriam Dei crea-

creatum optimumque esse, licet ludat in humanis divina potentia ac permissio, statuunt Bramanes, Ziegenbalg in ausführlichen Bericht *Contin.* VII. *Quæst.* 10. pag. 383. 84. Plura omittam. Jo. Franc. Buddeus in *Doctrinæ Orthodoxæ de Origine Mali contra recentiorum quorundam hypotheses modesta assertione §. 5. Optimum quoq; mundum eum* (Deum) *creare voluisse æque, ac potuisse, & ideas etiam tales formasse, secundum quas re ipsa mundus creatus sit optimus, ipsa* (scriptura sacra) *fatetur.* Quod vero Vir Celeberr. addat illud טוב מאוד non tantum notare harmonicam bonitatem, sed singulis creaturis per se convenientem; id quidem longe petitum est, namque *bonum* dicitur quod finem, qui ipsi est propositus consequitur. Adflictio dicitur *bona*, non in se se nude, quia est malum passionis. At quia finem præfixum habet, qui facit ex proposito Dei ad emendandum hominem, inde dicitur *bona.* Bonitatem singillatim dividere eamque viritim creaturis tribuere, est sapere extra connexionem, nam gradus illius singularis bonitatis terminantur mutuo rerum respectu ac harmonia universali. Ergone Deus non valuit producere mundum optimum? An fere per sex annorum millia bonitas ejus ablata vel imminuta est? Anne opus summi Dei potest esse, ratione totius complexus, imperfectum & minus bonum quam alius mundus melior ac præstantior?

Anne

Anne ob pauculas horas, futura nec prævidens nec recordans, dixit, omnia creata esse optima? Anne Deum sapientia defecit, ut nequierit ignoraveritque præstantissimum fabricari mundum? Num potentia eum destituit? Num noster intellectus divino est perfectior, qui nobis possumus repræsentare mundum meliorem eo, qui est? Anne Optimus potest non perfectissime bona producere suique oblivisci?

§. 7. Subjungo heic epistolam Leibnitianam ad Celeb. J. Fr. Buddeum datam, occasione Diss. illius *de Origine Mali: Legeram jam Dissertationem Vestram de Origine Mali, quum eam missu Tuo accepi, eoque nomine & pro humanitatis tuæ expressis in præloquio vestigiis gratias ago. Ceterum, ut ingenue dicam, quod sentio, sæpe attentionem in juvene illo tuo erudito, Dissertationis auctore, requiro; nec dubito, quin aliquando ad meliora & maturiora sit adspiraturus. Neque enim videtur satis nervum rei consecutus, & gravissimas difficultates aut præterit aut levi brachio tractat, & nullo negotio scilicet expedit; & sine discussione tanquam e tripode pronunciat, tantum abest, ut dubitationes suas proponere voluisse videatur. Passim etiam dudum solutas à me objectiones tantum reponit, ut sola responsionum repetitione opus esset. Ego vero optassem, occasionem ei altius inspiciendæ datam. Sententiam etiam defendit, & nulla argumenti specie comprobatam pæne instar fundamenti ponit de moralitate actionum*

num, non ex natura rei, sed sola voluntate legislatoris pendente: quæ uti cum meis sententiis plane consistere nequit, nec nisi a superficiaria admodum rerum consideratione nasci potest, ita mihi satis explosa a Philosophis & parum apud Theologos comprobata videtur. Quod superest, vale & fave.

IV.

JOACHIMI CHRISTIANI JEHRINGII,

Dissertatio

De Regione TARSCHISCH. (a)

Συνοψις.

§. 1. Variæ de nomine תרשיש sententiæ breviter adducuntur. §. 2. non est nomen appellativum, sed proprium loci. §. 3. Et quidem totius alicujus regionis. §. 4. Fuit India Orientalis.

§. 1.

QUi varias eruditorum de nominibus regionum & locorum, in textu hebræo Codicis sacri occurrentium, sententias non obiter inspe-

(a) Copiose nuper admodum & erudite de illa agit Vir

ſpexerunt, concedent facile, ſæpe difficillimum eſſe determinatu, cuinam terræ loco & genti hoc vel illud nomen ſit attribuendum. Nec mirandum hoc eſt, nomina enim regionum ob varias gentium migrationes, commixtiones, aliasque cauſas per tot ſecula mutationibus ſemper obnoxia fuerunt variis, unde non potuit non tanta hac in re oriri obſcuritas & difficultas, præſertim cum in temporum priſcorũ monimentis plerumque altum de iis ſit ſilentium. Et ſic res quoque ſe habet circa nomen תַּרְשִׁישׁ, quod diverſis in locis Scripturæ ſacræ occurrit, quodque hic conſiderandum mihi ſumſi, an divinare liceat, quænam mundi regio olim eo fuerit inſignita. In diverſas ſcilicet partes hic quoque ob rei expediendæ difficultatem modo dictam deſcendunt eruditi, alii namque, ut notum eſt, nomen hocce ceu appellativum maris vel Oceani capiunt, ut B. Lutherus præter multos alios quoque transfert; alii quidem proprium loci nomen eſſe concedunt, ſed urbem tantum alicubi terrarum eſſe putant, ubi tamen iterum inter ſe non conſentiunt viri docti, quidam enim putant eſſe Tarſum, Ciliciæ metropolin, patriam Pauli; quidam vero Carthaginem Africæ

Vir Cl. Gerardus OUTHOVIUS, non infrequens in hac Bibliotheca nomen in luculento, quem nuper ſermone patrio edidit in prophetam Jonam Commentario p. 169--218. T. d. H.

Africæ intelligunt; quidam, ut Bochartus, ejus ſedem in Hiſpania quærunt; quidam denique cum Joh. Clerico in Commentario in Pentateuchum ad Geneſ. X. v. 4. Tarſchiſch in Macedonia ſibi inveniſſe perſuadent. Videatur quoque *Aug. Pfeifferus in Prælectionibus in Prophetiam Jonæ* pag. 8. & 9. itemque Cl. *Wichmanshauſen in diſſ. de Navigatione Ophiritica* §. 7. Non eſt hic animus, imo nimis prolixum foret, omnes has aliasque doctorum virorum ſententias ſub examen revocare; ad ſcopum enim meum obtinendum tantum ſufficere puto, ſi oſtendam, nomen תרשיש (1) non eſſe nomen appellativum ſed loci proprium, idque (2) non urbis, ſed totius regionis alicujus; & ſi hoc à me fuerit probatum, argumenta proferam, quibus inductus ſum, ut crediderim, Tarſchiſch eſſe *Indiam* ſic dictam *Orientalem*, ad minimum ejus partem.

§. 2. Quod ſi ergo ſacri Codicis loca, in quibus nomen Tarſchiſch occurrit, paulo penitus inſpiciamus, ſatis clare pateſcet, eſſe illud non appellativum ſed proprium loci nomen. Primo namque ה locale expreſſe ei additur Jeſai. XXIII, 6. & Jon. I, 3. ubi bis ita reperitur, inſuper cum voce בוא & ברח, uti II. Chron. XX, 36. & 37. cum ילך, conjungitur. Nunc ה locale notat viæ metam, non vero viam, quod dicendnm eſſet, ſi Tarſchiſch ſit appellativum & mare denotet; &

ve-

venire, fugere, seu ire aliquo certum importat terminum & locum. Insuper cum paulo post Jonæ l. c. v. 4. maris fit mentio, ים dicitur, manifesto indicio, תרשיש & ים non esse unum idemque, sed per illud indicari locum quendam, quo Jonas per mare auffugere putavit. (2) Hoc exinde quoque apparet, quod Tarschisch Jer. X, 9. describatur ut locus, ex quo aurum ductum advehatur, quod de mari intelligi non poterit. Sic (3) Tarsidi mercatura adscribitur, cum Ezech. XXVII, 12. Tarschisch nominetur negotiatrix, sine omni dubio ideo, quod in Tarside multi fuerint mercatores, qui, ut contextus docet & ex Jesai. XXIII, 1. 10. & 14. quoque elucet, cum incolis Tyri commercium frequentarunt; uti eadem constructione v. 20. de Dedan scribitur, (דדן רכלתך), quod Dedan seu incolæ ejus cum Tyro fuerint mercati. Adhæc, quod probe notandum; תרשיש æque ac דדן hic, cum alias terminationem habeat masculinam, in genere tamen fœminino legitur, dicitur enim תַּרְשִׁישׁ סְחֹרֶת non סחר, nulla alia ex causa, quam quod inter locorum nomina sit referendum, quæ, ut ex Grammatica constat, generis sunt fœminini. Unde quoque Tremellius & Junius, qui alias in versione sua semper nomen hoc per Oceanum verterunt, hic tamen retinent, quo ipso nolentes volentes illud pro nomine agnoverunt proprio.

Nec prætereundus est locus Ezechiel. XXXVIII, 13. ubi non tantum mercatorum Tarsidis mentio fit, quod ad mare seu Oceanum non quadrat, præsertim cum mercatores isti incolis Dedan & Scheba adjungantur, qui, dum itidem ad littus maris siti fuerunt, specialiter ab istis modo dictis mercatoribus non distinguendi, sed eadem potius ratione itidem *mercatores Oceani* dicendi fuissent, si phrasis סֹחֲרֵי תַרְשִׁישׁ in genere tantum mercatores ad Oceanum habitantes indicaret: sed nomen Tarschisch quoque, ut in priori loco (ob eandem jam indicatam causam, quod scilicet nomen sit loci) in fœminino accipitur genere, uti videre est ex pronomine הָ֫, sequenti voci adjecto, quod cum unius tantum personæ pronomen sit, merito tantum ad proxime præcedens refertur nomen, uti quoque vocum postulat sequela. Et si porro nunc consideremus, Tarsidi hic, ut incolas, attribui כְּפִירִים leones, (quibus non incongrue, uti quoque in Bibliis. Dordrac. explicatur) duri lucrique cupidi intelliguntur negotiatores, qui leonum instar omnia ad se rapiunt; dubium remanere non poterit, quin Tarschisch pro proprio loci nomine sit habendum. Hoc denique (4) quoque indicat phrasis בת תרשיש, quæ Jesai. XXIII, 10. exstat, hujusmodi enim phrasis de aliis quoque locis in Scriptura S. adhibetur sæpissime, sic v. sq. 12. dicitur eadem ratione

ne בת צירון, filia Zidon, & Zach. IX, 9. filia Zion item filia Jeruſalem, &c. Ut taceam rationes, in ſequenti §. allatas, quæ ſuperflue idem evincere poſſunt. Unde non ſatis mirari poſſum; quod Cl. Wichmanshauſen in diſſ. cit. §. 7. ad I. Reg. X, 22. & XXII, 49. ita ſcribit: „Quod ſi תרשיש nomen terræ, „in quam emiſſa eſt claſſis Salomonis, pro„prium feceris, inconcinna plane & incon„grua verborum mens illa futura eſt, Salo„monem & Joſaphatum naves Tarſicas ex E„zion Gebher Ophiram miſiſſe: quum con„tra, ſi quis אניות תרשיש naves Oceani, h. „e. majores & ad longum iter in Oceano con„ficiendum aptas, interpretetur, perſpicua „ſint omnia & ſuis difficultatibus expedita. Putat ſcilicet (de locis allegatis poſtea agetur) תרשיש non eſſe nomen proprium loci, unde inconcinna ſit phraſis, ſi אניות תרשיש, uti quoque legitur Pſal. XLVIII, 8. Jeſai. II, 16. XXIII, 1. 14. LX, 9. Ezech. XXVII, 25. naves *Tarſicas*, Tarſiſche Schiffe/ interpretemur. Sed inconcinnitatem non video, cum etiam hodie uſu receptum ſit, navem ſecundum locum, quorſum aut ex quo mittantur, denominare, ſic notum eſt in vulgus, naves, quibus Batavi in Indiam navigant, dici Indicas, Oſt-Indiſche/ Weſt-Indiſche Schiffe. Magis incongrue vero eſſet, minimum navigatoribus non eſt in uſu, *naves maris* ſeu *Oceani* dicere; cum per ſe intelligatur, na-

ves non terræ aut aëri sed mari esse destinatas. Hinc Seb. Schmidius in Commentar. in Jesaiam ad Cap. XXIII, 1. pag. 198. accuratius de hac phrasi ita scribit: „Tarschisch „videtur esse h. l. non ipsum mare, sed terra, „sive insularis, sive maritima, ut naves „Tarschisch sint *naves è Tarschisch venientes*.

§. 3. Circumstantiæ porro de nomine Tarschisch in Scriptura S. traditæ non obscure quoque nos docent, esse illud non urbis nomen tantum, ut plerique putant, sed totius potius alicujus regionis. Scilicet inter filios Javanis Gen. X, 4. refertur quoque Tarschisch quidam, cum ergo reliqui in isto capite memorati, *regionum* certarum, non *urbis* alicujus tantum conditores fuerint, idem de hoc filio Tarschisch non sine ratione erit dicendum, præsertim cum loco citato v. 5. expresse addatur, à filiis Javanis, inter quos & Tarschisch erat, fuisse divisas insulas & regiones gentium per terras earum. Tarschisch quoque in Scriptura S. describitur, quod exinde in alias terras variæ merces, e. g. aurum, argentum &c. itemque animalia, ut simiæ, pavones &c. sint deportatæ, quod de sola urbe aliqua dici non poterit; cum terræ montosæ, non urbes, ejusmodi res alant atque promant, conf. §. seq. n. 4. Sine dubio ergo Tarschisch fuit regio aliqua & integer aliquis terræ tractus. Hoc quoque ex eo quam clarissime elucet, quod terræ

Tar-

Tarſchiſch in Pſal. LXXII, 10. reges attribuantur, mentio enim ibi fit מלכי תרשיש regum Tarſchiſch. Antiquis quidem temporibus reges non ſemper amplas ſibi ſubjectas habuerunt terras, interim tamen rex ſine regione, quantulacunque ſit, eſſe non poterit, unde neceſſario ſequitur, Tarſchiſch integram fuiſſe aliquam regionem. Et ſi ad numerum pluralem loco citato occurrentem (cum dicitur: reges, non rex Tarſchiſch) attendamus, dicendum fere ſine contradictione erit, Tarſchiſch fuiſſe magnum terræ tractum, quem tempore Davidis & Salomonis plures reges inter ſe diviſum ſub ſuo tenuerunt dominatu, prout olim in primis ſub imperiorum initia minora totam Aſiam diſtraxerunt regna. Idem porro exinde quoque apparere perſuaſum habeo, quod Tarſchiſch inter alia enumeretur regna, dum cum regione Lud & inſula Phul Eſai. LXVI, 19. conjungitur, manifeſto indicio, Tarſidis eandem eſſe rationem ac regionis Lud & Phul. Ex eo vero, quod Tarſchiſch & Lud l. c. conjunguntur, non poterit concludi, confines fuiſſe has regiones, Propheta enim maxime diſſitas & ab utroque Paleſtinæ latere extremas fere ac longinquiſſimas indicare vult regiones, quorſum miſſurus eſſet Deus O. M. quosdam, ut illis ſuam annuntiarent gloriam. Quod in anteceſſum hic erit notandum. Huc quoque pertinent argumen-

ta, ſequenti §. adducta, quæ idem facilé poterunt probare.

§. 4. Cum ergo breviſſime quidem ſed liquido oſtenderim, totam aliquam per Tarſchiſch in ſacris literis deſignari regionem; quæſtio nunc remanet, cuinam ergo mundi regioni nomen Tarſchiſch ſit tribuendum? Ego, ſi omnia, quæ de eo in Scriptura Sacra memorantur, accurate perpendeo, veritati maxime conſentaneum eſſe mihi perſuadeo, Tarſchiſch fuiſſe regionem iſtam, quæ nunc *India Orientalis* dicitur, quo nomine ſecundum conſuetum loquendi uſum in latiori ſenſu tam terra continens, Oceano Indico adjacens, quam Inſulæ in iſto Oceano ſitæ comprehenduntur. Evincent hoc ſine dubio ſequentes rationes ac circumſtantiæ. (1) Magna Indiæ Orientalis pars multis conſtat inſulis, ut ex Geographia notum eſt. Adeo ut non facile, plures ſimul alicubi terrarum reperiantur. Sic quoque eadem Tarſchiſch nobis in Scriptura S. depingitur ratione, non enim Gen. X, 4. & 5. ſolum refertur, poſteros Tarſchiſch, ut ceteros Javanis filios, inſulas incoluiſſe gentium, ſed etiam aliis in locis non obſcure innuitur, Tarſchiſch regionem fuiſſe inſularem, dum Jeſai. LX, 9. & Pſal. LXXII, 10. inſulæ cum Tarſchiſch conjunguntur, ubi forte particula ו hebraica, ceu alias quoque non eſt infrequens, ut explanativa commode accipienda

enda erit. Jungitur quoque (2) Tarſchiſch cum regionibus urbibusque Scheba & Dedan, Ezech. XXXVIII, 13. & Pſal. LXXII, 10. quæ ad mare Perſicum & ſic quoque ad Oceanum magnum Orientalem ſeu Indicum ſitæ erant, unde multo commodius Tarſchiſch ad Oceanum Indicum quærere reperireq; poſſumus, quam ut in Hiſpania aut Græcia cum aliis indagare regionem illam allaboremus. (3) Situs urbis (ſeu inſulæ) Ophir, ad quam claſſis Salomonæa fuit miſſa, quam clariſſime in ſententia noſtra nos confirmare poterit. Scilicet maximus quidem ſe prodit eruditorum diſſenſus, ubi terrarum Ophir ſit collocanda aut invenienda; accuratiores tamen ſcriptores, ut *Caſpar Varrerius in Commentario de Ophir, Bochartus in Phaleg. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. & Relandus in diſſ. de Ophir.* §. 7. in eo conſentiunt, Ophir ſitam fuiſſe in India Orientali. An cum Varrerio ad ſinum Gangeticum, an vero cum Bocharto in Inſula Ceilon, an denique cum Relando circa Oupara urbem ſit reperienda, hic determinare opus non erit, ſufficit, in eo viros doctos conſentire ac hoc demonſtraſſe, quod Ophir Indiæ locus fuerit Orientalis. Ad quod verſio Arabica quoque in conſenſum adduci poterit, quæ I. Reg. XXII, 49. pro Ophir omnino *Indiam* habet, & I. Reg. IX, 28. naves Salomonis *ad regiones Dahlak, quæ ſunt ex India*, profectas eſſe ait. Nunc omnes circum-

cumſtantiæ arguunt, Ophir & Tarſchiſch eodem terræ tractu fuiſſe ſitas, ſi enim I. Reg. XXII. 49. cum II. Chron. XX, 36. conferamus, videbimus, Ophir cum Tarſchiſch plane permutari, cum enim loco priori dicitur: Joſaphatum naves feciſſe Tarſicas ללכת אופירה *ut Ophiram irent*, in poſteriori legitur: ללכת תרשיש, *ut Tarſin irent.* Unde *Varrerius in Comment.* citat. non incongrue ita ſcribit: „Locis omnibus probe perſpectis „apparet, quod ſacra hiſtoria eandem regio„nem modo Ophir, modo Tarſis appellet. Sponte ergo hinc conſequitur, Tarſchiſch Indiæ Orientalis fuiſſe regionem, aut ipſam potius totam Indiam. Et ſi phraſin: אניות תרשיש ללכת אפיר, præter permutationem adductam, accurate inſpiciamus, dicendum omnino erit, Ophir fuiſſe urbem aut inſulam, in regione Tarſchiſch ſitam, ut idem hujus phraſis ſit ſenſus, prout nunc e. g. loquimur: Paratur navis Indica, ut mittatur Bataviam, Ceilon &c. Man rüſtet ein Schiff zu/ das nach Batavia oder Ceilon oder ſonſten nach andere Oſtindiſche Oerter gehen ſoll. (4) Legimus I. Reg. IX, 26. ſqq. X, 11. 22. item II. Chron. VIII, 17. 18. & IX, 10. & 21. diverſa mercium genera à claſſe Salomonea ex Ophir & Tarſchiſch fuiſſe advecta, ſcilicet *aurum*, *argentum*, *ligna thyina*, *ebora* ſeu elephantorum dentes, *ſimias*, *pavones* & *lapides pretioſos*. Cum ergo notum ſit, De-

um

um O. M. pro libera ſua poteſtate & ſapientia non omnem terram unius ejusdemque rei ac mercis participem reddidiſſe; ſed alteri regioni hanc, alteri vero aliam largitum fuiſſe benedictionem, ut ſic terra Tarſchiſch & Ophir præ ceteris regionibus memoratas protulerit merces: ſequitur, ſi oſtenſum fuerit, Indiam Orientalem eadem gignere & genuiſſe mercium genera, qualia de Tarſchiſch ſunt memorata; hanc & illam eandem fuiſſe regionem & terram. De India ergo Orientali non tantum hodierna comprobat experientia, ſed veterum quoque relationes teſtantur, proventu talium mercium eam imprimis fœcundam eſſe & olim quoque fuiſſe. Namque quod India aurum & argentum proferat, videri poterit apud *Plinium in Hiſtor. naturali* Libr. VI. Cap. XIX. & XX. Licet porro valde ſit obſcurum, quodnam lignorum genus per עצי אלמגים intelligitur, dubium tamen non eſt, quin & India ejusmodi lignum aluerit. Communiter quidem lignum thyinum redditur, de quo Apoc. XVIII, 12. legitur; ſi vero cum B. Luthero per *ebenum* interpretemur, Indiæ quoque fructus lignum iſtud cum Plinio l. c. Libr. XII. Cap. IV. foret dicendum. Eboris itidem copiam in India exſtare, non eſt quod dubitemus; cum terra illa elephantorum fœcundiſſima ſit genitrix, teſte iterum Plinio Libr. VIII. Cap.

IX. & XI. & alibi. Simias quoque ibi magno proceri numero, uti alias constat, sic quoque illi referunt, qui istam peragraruat regionem. De avibus,(a) תכיים dictis l. c., licet eas pavones aut psittacos reddas, aut qualescunque demum sint aves, à *Bochart* in *Hierozoico* Part. II. Lib. I. Cap. XX. pag. 137. demonstratum est, eas proprie *Indicas* fuisse aves. Variorum denique generum lapidum pretiosorum gemmarumque (quorsum inter alias chrysolitus, quem Scriptura S. à regione תרשיש vocat, pertinet) copia abundasse Indiam, non tantum Plinius hinc inde, sed & alii superflue nos docent. (5) Ratio hinc reddi poterit, cur in Ezion Gebher, urbe ad littus maris algosi, seu ad sinum Arabicum sita, classem suam ædificaverit, & exinde Tarsin miserit Salomo, uti quoque de Josaphato II. Chron. XX, 36. legimus. Si enim hanc esse Indiam Orientalem statuamus, facilior, tutiorque, imo compendiosior ad hancce regionem ex Ezion Gebher via erat, quam si ex Joppe, Hierosolymis alias multo viciniori portu, eam solvisset. Quod si Tarschisch orientem versus non fuisset sita (ut India Orientalis ea non indicetur) sed alicubi ad Mediterranei maris littus; si e. g. Tarsus Ciliciæ, aut, si cum Clerico Tarschisch quærenda esset in Macedonia: commodius sane ex Joppe aut alio istius maris portu expeditio illa nautica fuisset suscepta. Imo hae ra-

(a) V. de his diss. Fratris mei in hac Bibl. T. II. fasc. 3. diss. 4

ratione nautis Hirami, dum ex *Tyro* ſuas ſolverunt naves Tarſicas, ad unum iter conficiendum integro triennio non fuiſſet opus, uti traditur I. Reg. X, 22. & II. Chron. IX, 21. niſi non ſolum per mare mediterraneum ſed totam inſuper quoque Africam circumnavigandum illis fuiſſet. Ad hoc obſervari hic forte poterit, de expeditione Hirami, ex Tyro ſine dubio ſuſcepta, cum qua Salomo unam alteramve navem in conſortio miſerat, tantum locis citatis dici, quod iter nonniſi trium annorum ſpatio abſolverit; cum contra, ubi I. Reg. IX, 26. & II. Chron. VIII, 17. 18. claſſis Salomoneæ fit mentio, tantum temporis ſpatium ad expeditionem conficiendam neceſſarium fuiſſe non legatur, cum claſſis hæc, ex Ezion Gebher utpote portu Indiæ Orientali ſeu Tarſidi multo viciniore, miſſa, ſine dubio minore temporis ſpatio quam trium annorum iter abſolverit ſuum. Claſſes enim Hirami & Salomonis omnino ſunt diſtinguendæ (quamvis fortaſſis in conſortio eas inſtruxerint) de illius enim claſſe dicitur locis primo citatis, navem Salomonis miſſam fuiſſe *cum nave Hirami*; cum contra locis poſt citatis de Salomonis claſſe dicatur, ſervos Hirami *cum ſervis Salomonis* fuiſſe miſſos. (6) Argumentum porro pro ſententia mea peti poſſe puto ex Pſal. XLVII, 8. ubi naves Tarſchiſch Euro à Deo ſæpius confringi dicuntur. Ex quo patet,

tet, Tarſchiſch ſub iſta mundi plaga fuiſſe ſitam, ubi Eurus vehementior eſt, quam in aliis terræ locis. Ex multis vero Scripturæ S. locis, quos vide citatos apud Geierum in Commentario ad h. l. apparet, ventum huncce Eurum in orientalibus plagis nimis eſſe vehementem; unde ſequitur, ſub orientali Tarſchiſch quærendam eſſe plagam. (7) Ultimo loco adjungam *Hieronymi* conſenſum, ita enim *ad Marcellam* in *Opere Epiſtolarum* ſuarum, Tomo ultimo pag. 79. edit. Baſil. de anno 1524. ſcribit: *Quæris ſi Tharſis lapis chryſolitus ſit, aut hiacynthus, ut diverſi interpretes volunt, ad cujus coloris ſimilitudinem Dei ſpecies ſcribatur: quare Jonas propheta, Tharſis ire velle dicatur, & Salomon & Joſaphat in Regnorum libris naves habuerint, quæ de Tharſis ſolitæ ſint exercere commercia. Ad quod facilis eſt reſponſio, homonymum eſſe vocabulum, quod & Indiæ regio ita appelletur, & ipſum mare, quia cœruleum ſit &c. hactenus Hieronymus.* Hiſce ego omnibus argumentis ſimul ſumtis riteque conſideratis, nihil fere dubii hac in re remanere poterit, ut perſuaſum habeam, quemlibet nunc facile mihi conceſſurum, Tarſchiſch fuiſſe Indiam Orientalem.

V.

V.

J. C. HARENBERGII,

De modo eruendi aurum, argentumque in Arabia & Aethiopia a Jobo celebrato c. XXVIII, v. I-II.

Observatio.

Conſpectus. §. 1. Effoſſio & liquatio metallorum delineatur ex vetuſtis auctoribus. §. 2. Jobi verſio. §. 3. Conciſa explicatio.

§. 1.

DUplex erat aurum Arabicum. Alterum *apyrum*, non ex ramentis excoctum per ignem, ſed quod inter eruendum ſtatim purum putum inveniebatur par nuci caſtaneæ magnitudine & maxime flammei coloris, de quo agit Diod. Sic. L. II. c. 50. III. 45. Alterum in confinis Aegypti vicinæque Arabiæ & Aethiopiæ in primis ex magnis aurifodinis multorum hominum cum moleſtia & impenſa egerebatur. Solum ibi natura ſua nigrum m atus & venas habebat candido marmore inſignes & ſplendidiſſima quæque nitore ſuperantes (*Druſen*) in quibus metallicis erga-

ergaſtulis præfecti magno operantium numero, aurum elaborabant. Rei & ſupplicio graviori deſtinati eo detrudebantur, vinculis alligati, ut noctu diuque operi inſtarent, quale quiddam de *Phuno* vel Fenon Hieronymus de *Locis Ebraicis* fol. 128. col. 1. T. IV. memorat, loco Arabiæ deſertæ. *Terra auro gravida* igni ſubacta emolliebatur, petraque ita laxata, quæ jam mediocri labori cedere didicerat, ab aliquot myriadibus ſortis profligatæ ferro lapicidario diffringebatur. Toti negotio artifex præerat, qui & ſaxum dijudicabat & viam operantibus oſtendebat. Fortiſſimi quique acutis è ferro malleis petram marmore ſplendentem, vi diffindebant, cuniculosque agebant, quo rupis venæ interlucentis tractus ducebant. Qui ita per obliquos fodinarum mæandros in caligine verſabantur, lychnos frontibus adfixos geſtabant, & deciſa lapidum fruſta in pavimentum abjiciebant, quæ impuberes pueri per excavatos petræ ſinus ingreſſi, projecta fruſta egerunt & ſub dio extra oſtium depoſuerunt. Hinc robuſti homines eadem in mortariis ſaxeis ferreisque pilis contundebant. feminæ vero virique molis manuariis, bini aut terni, ad farinæ exilitatem conterebant. Miſeri illi, verberibus ſemper intentis, mortem præ vita exſpectabant. Dein magiſtri pulveres illos ulterius elaborabant, in lata paullumq; devexa tabula mar-

mor

mor illud affusis aquis deterentes, ut aurum gravitate subsidens in tabula remaneat, terreæ vero particulæ per assamenti devexitatem defluerent. Qua actione aliquoties repetita, defæcatum auri ramentum opifices, certo pondere congestum, sumunt & in fictiles juvenas condunt, plumbi massam, salis grana, pauxillum stanni furfuremque hordeaceum adjicientes. Tandem vasa operculo obstructa limoq; circumlita per quinque dies noctesque in fornace coquebant, & dato justo refrigerationis intervallo purum putum aurum, exiguo cum defectu, accipiebant. Hanc rationem antiquissimam excoquendi auri descripsit susius Diodorus Bibl. Hist. L. III. c. 12. 13. 14.

§. 2. Instituit Jobus comparationem inter sapientiam veram thesaurosque caducos. Hos perhibet, multo licet cum sudore, erui ex terra, & in aspectum produci è locis, quos nec rapaces aves & quadrupedes, omnia scrutantes ob prædam, viderunt. At sapientiam veram hominem fugere, nisi Deus eam detegat, docet. Aurum argentumque cum ceteris metallis tradit à solicitis mortalibus inveniri, fodinisque esse exitus & finem: originem vero veræ sapientiæ esse infinitam nulloque termino concludi. En versionem planam: *Sane est argento suus egressus*, locus unde in lucem eruitur, & *locus est auro, ubi illud perpurgant. Ferrum ex pulvere* reci-

recipitur & ex lapide firmo aes. Finem imposuit tenebris & omni termino ipse investigator lapidis tenebrosi & umbræ. Ipse *perrumpit vallem* cum iis, qui *à peregrinante non curantur* & *à pede* viatoris, *languescunt & ab homine deserti sunt. Terra, ex qua crescit alimentum, sub ea fit subversio quasi incendio. Locus pellucens instar sapphiri, sunt lapides ejus* habetque locus ille *glebas auri. Avis rapax* (aquila) non cognoverat semitam illius, nec oculus *cornicis conspexerat illum. Nec calcare docuerant illum leones feri: non pervaserat illum lupus minor. Acuto firmissimoque lapidi* investigator *immittit manum suam & radicitus montes subvertit. In rupibus rivos findit & omne, quod pretiosum est, detegit oculus ejus. Lacrymas omnium præstruit, & latebræ producunt lucem.*

§. 3. Stilus, ut apparet, est sublimis & concisus, indeque subobscurus. Extra historiam hic incedunt Rabbini, singula momenta nec debite pensitantes nec juste jungentes חוקר מפשפש, est metallicorum ergastulorum præfectus, qui operantium & rimantium labores dirigit & urget, & præcipue ita dicitur, quod ejus cura perveſtigatio metallorum cœpta & continuata sit. Non equidem Diodorus de argenti, ferri ærisque proventu enumeratione sua quicquam ingerit. Verum licet purgatio ultima auri a defæcatione ceterorum metallorum fuerit exigua ex parte diversa, conf. Ez. XXII. 20, effo-

effoſſio tamen ubique fere eadem fuit, cum reliquo apparatu. מוצא *egreſſus*, Targ. מפקנא *exitus* eſt oſtium fodinæ, ad quod fruſta comminuta metalli deponuntur vel egeruntur. Locus ubi aurum יזקו *liquabant* מתגנין *defecationis opifices*, partim per affuſam aquam, partim deinde per ipſam liquationem, in urnis fictilibus & furno ſuſcipiendam. Nec alia tum argenti facta fuiſſe videtur defecatio, ut apparet ex Pſ. XII, 7. ubi promiſſiones Dei comparantur cum כסף צרוף בעליל לארץ מזקק שבעתים *argento expurgato in urna vel catino terræ* (fictili), *defecato ſepties* (ſæpe). Cum qua interpretatione conſentit Targumiſta apud Buxtorfium, qui etiam ב in exordio vocis בעליל pro præfixo habet, quod verum puto. צרף alibi quidem eſt *conflare*, ſed quoties de verbo Dei vel ſimpliciter vel in comparatione adhibetur, *purgationem* indicat. Chaldæus inſtrumentum defecationis כורא על ארצא vocat, *inſtrumentum ſupra terram* vel *devexum in terram*. Ac ſi verum fateri licet, עליל non eſt fornax vel catinus, ſed tabula ferrea vel lignea paullum devexa, in qua, affuſis aquis, commoliti auri argentique pulveres ſubſidebant, idque omne defluebat, quod limoſum, terrenumque erat. Nam (1) hoc ipſo Pſalmo purgatio, a pleniori liquatione diſtinguitur, quarum poſterior in fornace peragebatur, ita tamen ut aurum argentumve fictili urnæ incluſum eſ-

set. (2) Fornax ille plenissimæ liquationis & despumationis ubique כור vocatur 1. Reg. VIII. 51. Prov. XVII. 3. XXVII. 21. Deut. IV. 20. Es. XLVIII. 10. Jer. XI. 4. Ezech. XXII. 18. 20. 22. symbolum irarum & maximorum cruciatuum. Ez. XXII. 21. כור ברזל est fornax, in quo ferrum purgatur liquaturque, ignibus maximis, quo cum conferuntur calamitates Israëlitarum Ægyptiacæ. עליל igitur est ab עלילה *machinatione*, עוֹלֵל *machinatus* est, machina separans pulveres a terreis particulis. (3) עליל לארץ non est catinus terrestris, sed *machina ad terram* sc. devexa. Nec moror בעליל Aben Esræ, quod ex etymo בעל הארץ de argento principum terræ deducit, vel varietatem Raschii, nam quod ex Raschio discimus, Jonathan ex significatione ארנות *dominationis* (a בעל) vocem *baalil* vertens primam deflectendi dedit ansam. Verum redimus ad Jobum, ubi אֶבֶן יָצוּק est terra metallis gravida, dura, igniqu- subigenda. Ubi vero profundæ in terris fuerunt tenebræ, ibi per effossiones metallicas iis finis imponitur, tam per aërem latebras fossas aliquantulum collustrantem, quam lychnos frontibus operantium adplicatos, caliginem mitigantes. Lapides nihilosecius dici possunt caliginosi, umbrosique, quia in lucem nondum erant eruti, nec antea visi erant ab operantibus, צַלְמָוֶת est Arabum ظَلَام *zalâm* quasi צַלְמוּת, *tenebræ*, quam

quam vocem LXX. per σκιὰν θανάτου & Targum h. l. per מוֹתָא מַטַּל efferunt, quasi foret compoſita. Mire heic interpretes fluctuant, unoquoque fere in diverſa eunte, conf. Lud. de Dieu in Animadv. ad h. l. p. 299. ſq. qui & ipſe ſibi non conſtat. Noſtra expoſitio non videtur incommoda, licet teſtimoniis idem ſentientium vix roborari poſſit, nam (1) unicam ellipſin ſupponit את vel עם (2) cum re ipſa convenit (3) cohærentiam non deſerit. (4) ἐνδιαδυσιν in מִן־עִם גֶּר רֶגֶל ob plurima exempla ſimilia ſtatuit. *Qui a pede peregrinantis oblivioni erant dati*, ſunt miſeri auri foſſores, quos nemo prætereuntium inviſebat vel colloquio dignari poterat. הַנִּשְׁכָּחִים מֵעִם רֶגֶל גֶּר. Nam quicunque maleficiorum rei, bello capti, injuſtis calumniis circumventi, aut ex ira cuſtodiæ traditi erant, olim damnabantur ad metalla eruenda, ubi nulla venia, nulla omnino remiſſio, neque ægroto neque mutilato tribuebatur, ubi nulla ætas excuſabat detruſos compedibusque adſtrictos, quorum erat continenter in opere perſeverare, nec per dies nec per noctes ulla conceſſa quiete, omnique elabendi facultate curate intercluſa. Militum barbarorum variis linguis utentium excubiæ illis imminebant, ita, ut nemini per ſermonis commercia, aut familiaris congreſſus blandimenta quenquam excubitorum corrumpendi relicta eſſet facul-

tas. Adde quod exactores rigidiſſimi in otioſos vel reſpicientes admodum ſævirent. Hi ſunt illi captivi, qui demum in morte vocem adſtantis exactoris audire ceſſant, & qui in vita mortem exſpectabant morantem, eamque vel ex occultiſſimis antris, e quibus eruebant venas metalliferas, effodere cupientes Job. III. 18. 21. Dicitur de iis דָּלוּ *attenuantur, areſcunt, ad maciem rediguntur*, nam omnes inflictu plagarum ad urgendum opus adigebantur, quoad, ærumnarum mole ſuperante, laboribus immorerentur. Additur מֵאָדָם נֶעְדָּרוּ *quaſi non ſint homo, vagantur*, vel ſi mavis, *ab homine deſerti vivunt* omni, vagantur in fodinis, inſtabiles, nulla ſpe nixi. Nulli enim corpus curare licebat, adeo ut nec pudendorum velamentum iis eſſet, & quemcunque, qui miſellos intuebatur, eorum miſereret. Quare illi infeliciſſimi mortalium futura ſemper formidoloſiora præſentibus ducebant, mortemque vita optabiliorem adſidue exſpectabant. Si vero דָּלוּ per נבהו cum R. Levi ben Gerſon explicare malis, animus indicatur auxilium ſemper exſpectantis ex alto, ut רָמוּ עֵינָי לַמָּרוֹם *ſublati ſunt oculi mei in cœlum* Eſ. XXXVIII. 14. quamvis prior explicatio ſit multo commodior, tum ob frequentiorem vocis uſum, tum ob cohærentem ſeriem. *Terra* porro ſuperius *alimenta* progignens, quæ *panis* nomine ſueverunt denotari, inferius igne

igne pervertitur, ut pergit Jobus. Nam in aurifodinis terra auro gravida, ubi durissima erat, igni subacta emolliebatur, antequam manuum opus adhiberetur. Chaldæus videtur montes ignivomos in animo habuisse vel ipsam gehennam, quam גַּנְתָּא דְעֵדֶן opponit, conditioni beatarum animarum, *gan eden* dictæ. Sed extra oleas saltat, quæ etiam ratio est, cur me abstinuerim a recensendis Judæorum interpretationibus. Lapides ejusmodi fodinæ vocantur porro מְקוֹם סַפִּיר non nativa, sed inflexa ad similitudinem significatione, *conceptaculum sapphiri.* Attendendum hic est vel ad colorem cœruleum, cœlum exprimens, vel ad pretium istius gemmæ. Fragmina fodinarum cœrulei esse coloris constat, si plus argenti, ferri stannique quam auri & aeris cyprii venis insit. Quare cum Jobus argento aurum adjungere solitus sit, quod ante vidimus, atque heic paulo post auri mentionem subjiciat, de argenti venis, colorem sapphiri reddentibus, ei sermo esse creditur. Nec tamen insulsum est, auri fodinam ratione pretii non æstimabilis cum loco sapphiri, vel fodina sapphirina conferri posse. עֲפָרוֹת sive ut Chaldæus habet עַפְרוֹיִן דִּדְהַבָּא *pulveres auri* sunt, nam viros feminasque, auri impuri glebas molis contrivisse, supra §. 1. traditum est. עַיִט *avem rapacem* vertunt omnes, Chaldæus nude אוּפָא *avem*, sed aquilæ spe-

eiem intelligi puto, tam ob impetum, quo ſuperne irruit, quod eſt עָיִט, quam ob rapacitatem & affinitatem vocis ἀετός, Adler. Alteram avem אֵיָה *cornicem* eſſe vix dubium eſt, ob indicatam viſus perſpicacitatem, qua inter omnes volucres pollet. בְּנֵי שַׁחַץ ſunt leones, ita a *ferocia* & *ſuperba excellentia* dicti, ut Olympiodorus h. l. indicat, vel *leonem catuli*, quia שחץ, שחצא ſimpliciter leonem ſignat, ut Theod. Haſæus, Vir Celeb. partim ex Targum ad Pſ. XVII. 12. ubi pro כפיר eſt שחצא, partim ex eo ad h. l. & Job. XLI. 34. ubi utrinque בני ארעין eſt, atque ex Tr. Sanhedrin probat, de *Liviathane Jobi* c. V. §. 34. p. 222. ſq.

שָׁחַל a me vertitur per lupum minorem, σκύλακα, ſquilachi, *Ciacale*, *lupum* vulpibus majorem, communibus lupis minorem, lupo validiorem, labris ferreis inſtructum, robore immanem, nocturna graſſatione & ingluvie gravem, ululatu canino inſignem, Ariſtoteli, Plinio, Busbequio, Thevenoto decantatum. conf. Bocharti Hieroz. P. I. L. III. c. 12. Non quidem ignoro, ad ſeptem leonis nomina referri שחל, & ab uno Targumiſta verti per לַיְתָא leonem, alter enim חַוְיָא *beſtiam* generatim habet. Scio etiam Raſchium & R. Levi ben Gerſon h. l. *leonem* interpretari. Verum obſtare puto (1) quod *leo* jam commemoratus ſit, (2) quod μείωσις non patiatur eadem bis dici, (3) & quod شغال σκύ-

σκύλαξ cum שחל ſono & prædicatis apte conveniat. Hæc animalia non viderunt glebas, quibus ineſt aurum, quia ipſa terræ inambulant, fodinas non aperiunt metalliferas, ſtupendo hominum labore recludendas. Nam indagator æris eſt, qui in duriſſimum ſaxum & ſilicem injicit manum. Petra dura, auri dives, igni edomita, ab hominibus porro diffringitur. Durities petræ ineſt voci חלמיש ut liquet ex Pſ. CXIV. 8. Deut. VIII. 15. Eſ. L. 7. Deut. XXXII. 13. nec præciſe eſt ſilex, cujus ex violento attritu excuditur flamma, ſed petra duriſſima quælibet, ut ea, quam percuſſit Moſes, in hunc usque diem ſuperſtes. Vid. Celeberr. Theodori Haſæi Diſſ. de *lapide fundamenti*. Porro indagator æris radicitus vertit montes, fodinam pro meatibus venarum per anfractus perrepens; quin etiam inter illas petras amnes dividit, ne opus impediant ingreſſusque illudant: Ita enim videt quodvis pretioſum, venas candido marmore (*Silberſand*) inſignes & ſplendidiſſimas quasque res nitore ſuperantes. Et cum forte lacryma rivorum, hoc eſt, ſtilo depreſſiori ipſe rivus iter in fodina corrumpat, eum obſtruit, חבש ut obſtruere vel obligare ſolemus ſanguinem æquo largius e vulnere manantem. AbenEſra: יעצר ,חבש *cohibet*. R. Levi ben Gerſon ומחם עצר *cohibet & obturat*. Hinc *res abſcondita*, חֶעֱלֻמָה, exire facit, ſive *repercutit lucem*. Lux illa eſt vel in fodinis

repercussa a petris, orta de lychnis, ad frontes operantium, adaptatis vel est auri defecati, quod lucem splendoremque emittit, antea squalore & tenebris mersum.

VI.

J. C. HARENBERGII De recepta lectione loci Gal. II. 3. 4. 5. retinenda.

Observatio.

Summa. §. 1. *Sam. Battierii industria in eruderandis scriptoribus Græcis celebratur.* §. 2. *Qualis Critica ars ad S. litteras sit adhibenda.* §. 3. *Characteres veræ expositionis.* §. 4. *Adplicatio eorundem ad locum præsentem.*

§. I.

ACademia Basileensis BATTIERIOS aluit jam aliquo abhinc tempore, litterarum ac scientiarum amplificandarum administros. Joannem Jacobum BATTIERIUM quendam Basileensem Typographum multa typis impressisse reperio. Samuel vero BATTIERIUS, Phil. & Med. Doctor exeunte proximo sæculo florere cœpit, cujus varias observationes

nes & Emendationes in ſcriptores Græcos & ipſum N. T. litterati volvunt. Idem eſt, auctor *Obſervationis* 2. in hujus *Bibl.* T. VII. *Faſc.* I. p. 56 ſq. qua *Timotheum* legendum eſſe judicat loco *Titi* ſimulque particulam ὧδε v. 5. delendam eſſe judicat. Viri Clariſſimi opinio ingenioſiſſima prima fronte adeo mihi ſeſe commendavit, ut nihil ſupra, quippe qui aperte fateor, exempla adlata e profanis ſcriptoribus non abhorrere a propoſito. Atmox animum ſubiit religio illamque criſin curatius contemplari inſtitui. Nec ægre ferret Auctor Clariſſimus, opinor & obſecro, ſi rationes quasdam modeſte produxero, quæ me impulerunt, ut adſenſum meum revocaverim ac receptam uſuque vulgatam lectionem ſequar.

§. 2. Ars critica in ſacris litteris explanandis inſignem fundit lucem, nec de eo ulla niſi ab imperitis rerum arbitris cietur controverſia. Sed ars illa manum ultimam nondum experta eſt, & quisque pro viribus fines ejus proferre juxta eniti debet. Ad cavendum ſedulo eſt, ut idemtidem inculcant Theologi, ne Jo. Clerici, qui primus Criticen in formam artis redigere adgreſſus eſt, veſtigia vel exemplum nimis ſectemur, namque re ipſa animadverti, veritatem judicii R -- Viri in vicinia mea Celeberrimi ſibi conſtare. Vituperandum enim in rebus ipſis Artis Criticæ, *quod viam ſtraverit acutioribus ad Scepticis-*

mum, Libertinismum - -; quod auctores ſacros profanosque eodem loco habuerit ac pari libertate judicaverit de Moſe & Paulo, ac de Terentio & Curtio; quod Criticæ magiſterium conceſſerit in S. S. cui miniſterium tantum indulgere debuiſſet. Omitto in præſens cetera, ab hoc loco aliena. Quod vero ſumma ſit differentia inter ſacram & profanam Criticam, id ipſum liquet (1) ex *auctoritate diverſa*, quæ auctoribus ſacris & profanis ineſt. Ad illos cum veneratione majeſtatis divinæ & æternæ veritatis accedendum eſt; In his etiam illotis manibus, ut ajunt, quædam tentare licet, nam multi illotis manibus exarati ſunt. Diſcrimen (2) poſitum eſt in *fine diverſo*. Profani ſcriptores contexti ſunt vel ad placendum vel ad felicitatem humanam in orbe conſequendam vel ad alios exagitandos, depravandos, hiſtoriam orbis docendos, ubi tamen miris ſcatent erroribus, ut Eduardus Stillingfleet in *Originibus ſacris* erudite oſtendit, adeo ut *Demonſtratio Evangelica* Huetiana maximam partem in exordio inde collecta tandem in Pyrrhonismum abierit Joanne Clerico ipſum Scepticum MStum conſpicato. Intervallo (3) vegrandi diſtant ratione formæ internæ & externæ. Differentia (4) emergit gravis ex curata deſcriptione. Hebraicum codicem Judæi ope Maſoretarum mirifice tuiti ſunt. Græca a Chriſtianis, præcipue Græcis, diligenter conſervata, Tertulliano ad autogra-

pha

pha provocante, Conſtantino Maximo aliisque exquiſite codices deſcribendos curantibus. Virgilius aliique profani ſcriptores vix erant conſignati, cum jam varie legerentur, ut ex Gellio, Macrobio aliisque pateſcit. Muhammedes etiam fatetur, Judæos jurejurando, ſe nil mutaturos, interpoſito codicem Hebraicum deſcripſiſſe, licet fabulæ additæ ſic eo improbabiliores ſint. Differentia (5) oritur ex *legendi tractandique ſtudio diverſo.* Judæi ſemper in ſynagogis & manibus aſſervarunt codicem Hebraicum, Græci Græcum. Contra profani auctores aliquando jacuerunt neglecti & ſepulti ſatisque aliquando cum tineis blattisque colluctati ſunt. Differentia (6) conſiſtit in *multitudine legentium & vertentium.* Eccleſia Chriſtiana late patens ſacram ſcripturam ſemper legit, usque ad concilium Bononienſe etiam apud Pontificios. Profani ex contrario auctores circumciſis legentium finibus fuere incluſi, multique neglecti, exeſi, mutilati & deperditi ſunt. Quare Critica ſacra tanta libertate haud indiget, immo nec opus habet, quantam adhibere licet in ſcriptoribus profanis emaculandis, quibus conſervandis nulla ſpecialis providentia invigilavit.

§. 3. Quæ hucusque de Critice adlata ſunt, ob adfinitatem materiæ addidi, non ad dicam Celeb. Battierio impingendam. Pergo ad characteres, quibus fultus vulgatam lectio-

ctionem amplexandam esse judico. Quocirca (1) MSti codices producendi sunt optimi, nec unus & alter, quorum auctoritas defendi potest, idque ad normam canonum Wetsteinianæ editioni N. T. nuper præfixorum ac eruditissimæ Dissertationis in hanc rem à Celeberr. Christoph. Matth. Pfaffio habitæ, nisi rationes graviores proferantur in contrarium. (2) Nec impressi codices, de quorum auctoritate constat, Ximenianus, Stephanorum, Curcellæi, Bezæ, Montani, Gregorii, Milliique sunt negligendi. (3) Quousque commoda explicatio locum reperire potest, pro recepta lectione standum est, non obstantibus codicum quorundam vel Patrum testimoniis. (4) Si novæ crisi incommodum subest, eo magis antiquæ lectioni est inhærendum. De singulis hisce momentis nullam fore litem arbitror, ideoque tanto fidentius crisin Batterianam ad horum characterum amussim exigere liceat.

§. 4. Quare si ad primum characterem respicio, Auctorem Clarissimum ad nullum MStum codicem provocare video. Immo, quod majus est, Millianas, eisque adjectas Wetstenianas, variantes lectiones Stephanorum marginem, & Bezæ annotationes perlustravi, sed nec τιμοθεος loco τιτος nec δε omissum deprehendi, nec deprehenditante me *Lambertus Bos in Exerc. Philol. in N. T. Ed. 2. p. 173.* Si ad secundum momentum

tum adtendo, nec Ximenii, nec Stephanorum, nec Montani, nec Bezæ, nec Curcellæi, nec Elzeviriorum, nec M. Herm. Aug. Franckii ad exemplar Oxonienſe, nec Millii, nec Henrici Wetſtenii codex impreſſus legit Τιμοθεῳ, nec καὶ omittit. Si me ad tertium characterem recipio, percommoda mihi obverſatur expoſitio, ſi verſus tertius parentheſi includitur. Nam hic eſt ſenſus ſimpliciſſimus: *Exactis 14. annis comite Barnaba ac Tito ad ſynodum remeavi Hieroſolymas, falſis accuſationibus, de intermiſſa circumciſione & non injuncta ethnicis lege cerimoniali Judaica, impetitus. Collocutus ibi ſum cum principibus apoſtolorum, auctoritate pollentibus, ne viderer temere & fruſtra evangelio operatus. (Nec Titus, nondum circumciſus, ibi circumciſionem ſuſcipere coactus eſt, aſſectator & comes meus, ipſe licet Græcus, quem pro more aliorum oportuiſſet prius per circumciſionem Moſaico corpori adſtringi & poſtea fieri proſelytum chriſtianum.) Namque ibi de conſueta mihi doctrina & conſuetudine non deſiti, ringentibus licet Nazaræis, onera Moſaicarum cerimoniarum, urgentibus, & vacuitatem ab eis, quam defenderam, ægre ferentibus, ne latum quidem unguem iis induſimus vel ceſſimus ſubjectione ab iis intentata, idque eum in finem ut veritas evangelii, umbras Moſaicas excludens, vobis propugnaretur.* Paulus ejusmodi parentheſes ſæpius admittit e. g. *Gal.* II. 15. *prior inciſi pars*

Gal.

Gal. IV, 25. conf. *Epheſ.* III. ubi v. 3. 4. 5. parentheſi includuntur. Hoc dudum monere memini Clariſſimum Franckium in *Præfatione* ad N. T. paullo ante memoratum. Tandem Celeb. Battierii mutatio incommodo laborat. Nam (1) Paulus Galatis demonſtraturus erat ſupervacuitatem, immo perniciem circumciſionis Judaicæ Gal. V, 2. 3. 4. VI. 12. 15. quomodo igitur exemplum & indulgentiam in contrarium adlaturus fuiſſet? (2) Timotheus non fuit Hieroſolymis, ut comes Pauli. ſed poſtea Lyſtris in Piſidia, cum Antiochia Paulus jam diſceſſiſſet, à Paulo offendebatur Act. XVI, 1. 2 cum tamen Paulus in Ep. ad Galatas rem cum Tito geſtam præponat itineri Antiochiam inſtituto, immo Synodo Titus ipſe interfuiſſet.

VII.

Eilhardi Folcarthi HARKENROTHII,

Vitæ *Guilhelmi* GNAPHEI brevis descriptio.

Guilhelmus Fullonius GNAPHEUS, (non Gnaphæus, ut nonnulli per æ vitiose scribunt observante Crenio) Hagiensis, natus 1493. vir omni eruditionis genere conspicuus, qui & anno 1522. Scholam patriam Hagæ Comitis rexit, relictoque papismo inter primos fuit, qui ob religionem sinceriorem in Belgio etiam acerba passus, Delphisq; in carcerem conjectus captivitatis socium ibi invenit, *virum* doctissimum *Cornelium Hoen*, juris consultum, in eodem carcere etiam mortuum, laudatum tamen clarissimo Lavatero in libro de re Sacramentaria p. m. 1. ob sanam ejus, quam cum Ulrico Zwinglio communem habuit, interpretationem verborum Christi, hoc *est* Corpus meum. Maximam Gnapheo & Hoenio captivis consolationem tunc præbuit *Johannes Pistorius*, belgice *Bakker*, Woerdensis, primus in Belgio ob religionem restitutam Martyr, Hagæ Comitis 1525. combustus. Ex hoc carcere biennio elapso liberatus Gnapheus, rursum incidit in manus inquisito-

rum

rum Lovanii 1525. ibique condemnatus, ut Cœnobio incluſus per tres menſes cereviſia & ſolo pane ſuſtentatus pœnitentiam ageret, quoniam literas cuidam ſcripſerat de vita monaſtica. Hoc ipſo pœnitentiæ ſuæ tempore colloquium ſcripſit inter *Tobiam & Lazarum*, non tamen memoratum in Conradi *Geſneri* Bibliotheca. Redux ad ſuos bonis ſuis exutus, vetulaque matre & ſorore ob ejus aufugium incarceratis 1528. huc illuc per aliquot annos degens & latens, verſus Orientalem Pruttenorum plagam iter ſuum inſtituit, ubi teſte Valerio Andrea, in bibliotheca Belgica p.m. 317. Illuſtri Alberto Marchioni Brandenburgico à conſiliis fuit, & adornatæ novæ in Boruſſia Scholæ Elbingenſi per ſexennium non ſine laude præfuit; aſt, quum ſe uxoratum eſſe, vah quale crimen! coram Epiſcopo Dantiſcano ingenue faſſus fuiſſet, & honorabile conjugium in omnibus cum Divo Paulo Heb. XIII, 4. aſſeruiſſet, diſcedere debuit 1542. Poſtea Regiomonti recens erectæ Scholæ, ut Rector præfuit, hac conditione ad Scholam & Cathedram admiſſus, ut ſingulis diebus per quatuor horas in Schola, & ſingulis diebus Dominicis in Eccleſia Catechiſmum publice coram populo doceret, quod etiam fideliter præſtitit: aſt quum 1544. decimo ſeptimo menſis Auguſti diſſertationem ſuam de diſcrimine cœleſtis doctrinæ & Philoſophiæ in Academia publice

in

in frequenti eruditorum corona defenderat, maximos ab eo tempore expertus est adversarios, plurimas ipsi molestias creantes, dicentesque quod suam falcem in alienam messem immiserit, odiosisque expressionibus eum deturpare conantes, quorum primus fuit *Philoplutus* ipsum *Swermerum*, *Sacramentarium*, odiosa tum temporis nomina, ubique appellitans. Refert etiam *Hartknochius* in historia Ecclesiastica Pruttenorum lib. V. cap. 2. pag. 463. & seq. litigium quod cum Gnapheo nostro gessit Doctor *Isendorus*. Ast majori vehementia animoque irreconciliabili ipsi obstitit *Fridericus Staphylus*, Osnabruggensis, homo ferox, licet per decennium institutione Clarissimorum virorum Witrenbergæ usus fuisset, & in ædibus mansuetissimi Philippi Melanchtonis victum cepisset; Hic ad Theologicam professionem Regiomonti vocatus, calamo & ore ubique θέμις magnas rixas movit, etiam nostro Gnapheo, tenax tamen veritatum non fuit, nam tandem Breslaviam profectus ad papismum reversus, ut sus lota ad volutabrum luti, à quo tempore in consiliis fuit adhibitus à Rege Ferdinando aliisque Principibus, Viennæ & Ingolstadii vixit, morboque tabido exstinctus est 1555. teste Godr. Arnoldo Kerkenketter hist. §. II. p. 166.

Hic quum Regiomonti Theologiam profitetur, in hunc nostrum exsulem Gnaphe-

um omnia dira evomuit, majorique autho-
ritate pollens ipsum accusavit Anabaptismi
& Enthusiasmi, contrarium licet testantibus
Philippo Melanchtone & Joachimo Came-
rario in suis ad Georgium Sabinum Melanch-
tonis generum literis 1547. acquiescere ta-
men hic Staphylus noluit, sed eo usque in
Senatu Ecclesiastico hoc negotium ursit, ut
tandem Gnapheus ab officio & Sacra cœna
publice fuerit remotus mense junio 1547. qui
& sic necessitate coactus discedere debuit.
Inter accusationum capita potissimum me-
morantur, quod Gnapheus in Scholis sacras
historias more tragico pertractabat, & per
sesquiannum Collegia Theologica & publi-
cas disputationes habuerat, teste ipso Gna-
pheo in Antilogia sua.

Tandem feliciorem portum ingressus est. In
hac en. regione uti Johanni â Lasco fuit cogni-
tus, utpote cum quo literas miscere solitus,
ut constat ex Gabbema Cent. I. epist. XI. ita
etiam ab ipso fuit commendatus piissimæ Ma-
tronæ Annæ Comitissæ, ut ex literis nonnul-
lis liquet, cujus jussu etiam Emdæ appulit
mense Septembri 1547. eum in finem, ut filiis
ejus Edzardo, Christophoro & Johanni Co-
mitibus Frisiæ Orientalis præesset, eosque
in vera pietate & studiis humanioribus in-
strueret, quibus ante ipsius adventum Co-
mites exornaverat Carolus Bonozius, Gan-
davensis, absolutisque tandem sub ductu-

Gna-

Gnaphei ſtudiis, Comites, Chriſtophorus & Johannes ſub ἐφορείᾳ Johannis Luchtingii legum Licentiati Argentinam profecti ſunt, teſte Henrico Paulino in oratione funebri habita in obitum Comitis Chriſtophori 1569.

In hac regione ut omnibus acceptus, ſic non diſplicuit Aulæ, cujus juſſu 1553. etiam apud Nordanos, quantum pote litigium ingens ortum inter paſtores illic *Wilhelmum Lemſium* & *Johannem Forſtium*, Lutheranos, maximo odio proſequentes *Johannem Fuſipedium*, Reformatum paſtorem, aſſopire conatus, veramque inter illos concordiam reſtaurare anniſus eſt; ſed fruſtra; hinc utrique parti injunxit; ut ſententiam ſuam ſcriptis Comitiſſæ traderent. 1561. fuit etiam præſens, quum bona clauſtri Franciſcanorum Emdæ inventario inſerebantur, quarto die Februarii.

Fixum ſuum domicilium habuit Nordæ conſulari dignitate gaudens, ubi etiam ut verus vates *Johanni Ligario*, Paſtori Nordano Lutherano, homini quieſcere neſcio 1564. prædixit, ni Eccleſias hujus regionis Reformatas ſineret pace frui, tranquillitatique ſtuderet, imminere ipſius ruinam, quod ipſius augurium brevi poſt impletum, ſiquidem eodem anno ab officio remotus, V. Grond. waar. berigt van de Reform te Emden p. 401, 402. Tandem noſtrum Gnaphe-

um Nordæ in Festo Michaelis 1568. in consulari dignitate occubuisse anno ætatis 75. testis est Ernestus Frider. à *Wigt* in annal. ms.

An, quot, & quales liberos reliquerit, nondum liquet, ex ejus tamen sanguine mihi videtur natus *Albrechtus Gnapheus*, Consiliarius Comitis FrisiæOrientalis Hagam Comitis missus 1645. die 29. May, teste. o.h.t. 1. l. VIII. N.78. Insigne ipsius antilogiæ suæ præfixum constitit cruce & adscriptis hoc modo G. G. W. H. literis $\overset{G}{W}X\overset{G}{H}$ quod etiam Alexander à Suchten Gedanensis sequenti epigramma. te ornavit.

Sub cruce multa tuli, crux est insigne Gnaphei,
Convenit hæc Christo, convenit illa mihi.
Ille suos hostes habuit, sed vicit, & horum
Victa triumphanti sub pede colla tenet.
Sic ego multorum jaculis sine fine petitus,
Omnibus emergam te Duce, Christe, malis.

Multa hic Heros etiam scripta, stilo Erasmiano insignia reliquit, quorum non nulla tamen tantopere Pontificiis displicuere, ut in Catalogo librorum prohibitorum nomen nacta sint.

I. Colloquium inter *Tobiam & Lazarum* 1525. composuit, cujus tamen prima editio ipso inscio facta & publico decreto prohibita 1550. quum in contemtū papismi exaratum erat, quam editionem etiam typographus de-

decollatione capitis luere fuit coactus: aſt poſtea idem hocce colloquium ab auctore emendatum ipſoque volente editum, dicatumque Conſiliariis Cæſaris in Belgio, Zeelandia & Friſia, etiam ſæpius recuſum, maximopere Belgis placuit, teſte Thom. Crenio animadv. phil. parte VIII. pag. 61.

II. Vitam *Johannis Piſtorii*, Wœrdenſis, Martyris, Hagæ Comitis latitans 1529. die 1. Decembris abſolvit, & typis evulgavit, Argentinæ, quam etiam recudi curavit Clar. Jacobus *Revius* Lugduni in Batavis 1649. 8. typis Wilhelmi Chriſtiani Boxii.

III. Comœdiam de filio prodigo, *Acolaſtus* dictâ abſolvit Hagæ comitis Kal. Octobr. 1528. Is publica in panegyri eruditorum Elbingæ 1536. per Gnapheum in ſcenam productus fuit; typis editus 1540. Coloniæ apud Gymnicum, ſæpius etiam recuſus annis 1555. & 1560. Antwerpiæ. Antwerpienſem editionem anni 1555. poſſideo, (a) cui dulces ἐνδεκασύλλαβοι præfixi ſunt, *Bernhardi â Meypis*, Rectoris Scholæ Emdanæ, dein paſtoris Larletani, quem, mea ſaltem conjectura, etiam

(a) Mea eſt Antverpienſis a. 1540. 8. ubi ſe vocat in titulo Gul. *Gnapheum*, Gymnaſiarcham Hagienſem, at in calce Gul. *Fullonium*. Prodiit quoque Lipſiæ, 1543. 8. T. d. H.

iam indigitare videtur, Gabbema Cent. I. epist. 35. nomine *Meppius*.

IV. *Eloquentiæ triumphus* vario metro publicè Regi monti in scenam productus 1545. recusus Coloniæ apud Martinum Gymnicum 1551. eodemque etiam anno Dantisci evulgatus.

V. Tragicomœdia *Hypocrisis* inscripta, de falsa religione, ficta disciplina & supplicio, deque Pseudophes calamitate, & restituta illi per veram pœnitentiam salute 1544. Basileæ impressa est teste Conradi Gesneri bibliotheca. (b)

VI. Apologeticam Orationem pro captivo Wordemate, de indicto Sacerdotibus cœlibatu, Argentorati excudi fecit est 1546. eodem teste Gesnero.

VII. Scripsit & fabulam *Morosophus* dictus, qui in Valerii Andreæ Biblioth. belgica p. 317. *Misobarbarus* vocatur, impressam, ut Gesnerus conjicit Basileæ.

VIII. Antilogiam suam contra Frederichum Staphylum absolvit Auricæ & Stikhusæ in Frisia Orientali 1548. typis impressam possideo anno 1550.

IX. Ἐγκώμιον Civitatis *Emdanæ* carmine elegiaco composuit 1553. dicatum Christophoro

(b) Possideo eam ex editione Heidelbergensi a. 1615. 8. ubi vocatur; *Guilielmus Gnapheus illustriss. Principis D. Alberti Marchionis Brandenburgensis, & primi Borussorum Ducis Consiliarius.* T. d. H.

phoro & Johanni Comitibus Frisiæ Orientalis Emdæ typis evulgatum 1557.

Exstat & ejus epistola ad Joh. à Lasco Regiomonti 1544. die 14. Juli data apud Gabbema Cent. XI. in qua Emdæ salvere jubet *Petrum Ultrajectensem* & *Gerhardum Westerburgensem*, Theologiæ Doctorem scriptis & invento molendino artificiosissimo clarum, laudatum in Conr. Gesneri Bibliotheca.

Hujus denique *Gnaphei* sive Fullonis nomen etiam gessit *Petrus Gnapheus*, sive Fullo, Episcopus Antiochenus, ast pessima hæresi Eutychiana infectus, qui seculo quinto primus adorationem sanctorum & Mariæ docuit, & totam Sacro Sanctam Trinitatem passam esse asseruit, teste Nicephoro, hist. Eccles. lib. XV, cap. 28.

VIII.

G. OUTHOVII

De quarumdam vocum Hebræarum Etymo, Speciatim שמים ac בר Dissertatio.

ARGUMENTUM.

§. 1. *De* utilitate indagationis verarum vocum significationum. §. 3. Ardua quidem res, & quare. §. 3. Lexica non omnium vocum veras significationes ac origines tradunt. §. 4. *He*bræa est quidem primigenia lingua & incorrupta mansit; at multæ radices desiderantur, quæ ex linguis affinibus peti debeant. §. 5. *H*inc laudantur viri celebres, qui ex Arabismo amissas radices restituere conati sunt. §. 6. Verum, quæ mater ipsa præbet, a filiabus non est æquum petere, §. 7. quod uno atque altero exemplo ostenditur, primo in voce שמים. §. 8. Variæ quædam derivationes istius vocis allegantur. §. 9. Etiam eorum, qui radices vocum שמים & ארץ ex Arabismo petunt, ac primam vocem per *id, quod altum est*, alteram per *humile*, exponunt. §. 10. Quæ sententia non plane rejicitur; sed confirmatur ex sacris. Difficultas tamen movetur, ex duali terminatione. §. 11. ostenditur contra Glassium ac Danzium in terminatione duali semper aliquam esse dualitatem, §. 13. hinc שמים dicitur dualis numeri a sing. שם

ubi

ubi, Locus distans. Sic שמים duo loca remotissima indicat, seu duos mundi polos, quod porro ex polis mundi ac Horizontis, ut & ex officio *Horizontis*, Æquatoris, ac Zodiaci illustratur. §. 13. Sic citra necessitatem ad Chaldaismum non est confugiendum. §. 14. Speciatim non in derivanda voce בר, *filius*, §. 15. quia derivatur ab Hebræa radice ברה, *elegit*, & notat *filium electum*. §. 16. Qualis derivatio exemplis simillimis ostenditur. Ad vocem תו fit digressio, de loco Esech. 9: 4. an ibi alludatur ad signum crucis, ut & ad vocem דג, a רוג, *piscari*. Quinam sunt piscatores spirituales: illustrantur loca Jer. 16: 16. Matth. 4: 19. Luc. 5: 10. Esech. 47: 9, 10. §. 17. concluditur בר esse vocem hebræam, & notare *filium electum*, sicuti Christus erat, electus ac dilectus Dei. §. 18. uti & Ps. II: 12. vocatur, ubi phrasis נשקו בר breviter exponitur.

§. 1.

INdagare veras vocum origines; ac primævas propriasque significationes & insitam radicum indolem ab ultima stirpe ἰχνεύειν seu vestigare, ut & primigenias, derivatas, atque compositas voces rectè discriminare, beneque internoscere, sicut & ἄτεμπτα, seu inusitata vocabula, ab usitatis, approbatis, ac συνηθείᾳ receptis, ἀκεμβῶς ἀμκρίνειν, nemo veritatis cupidus facile negabit, haud leve momentum esse. Licet sint qui se doctos dicunt, & ob ignaviam, omnis improbi laboris damnatricem, omnes in verborum originibus enucleandis occupationes ut res frivolas rideant: illi tamen

men tali perverso judicio, se planè ab omni vera ac solida doctrina alienos ostendunt; doctisque omnibus se ipsos irrisui exponunt. Certè, cum verba sint mentis signa & res vocum symbolis indicentur, & nulla dictio temere sit conficta, rectè judicarunt viri prudentiores, scire rerum & appellationum causas, potissimum esse caput sapientiæ. Unde & Isidorus dixit, *Orig. lib. 1. cap. 28.* omnem rei inspectionem etymologia cognita planiorem esse; & recte hinc scribit Jcto. rum optimus Doctor Wissenbachius *in comm. ad tit. ff. de V. 5. disp: 1. in pr.* εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, *ad recte docendum oportet prima expendere nomina.* Nulla enim res benè describitur, ubi verbi notio, quam Græci ὀνοματολογίαν vocant, non accuratissime demonstratur; sed expositis ad nominis declarationem necessariis, ad realem definitionem facilior fit accessus.

§. 2. Fateor, arduam hanc esse rem, veram originem omnium vocabulorum rectè demonstrare, quia omnia nomina a veteribus non semper omnibus rebus secundum naturam sunt imposita. Adamus, primus homo sapiens eximia ingenii acie præditus, plurimis animalibus ad se adductis nomina naturæ convenientissima absque errore & mora imponebat, ut Moses annotat, *Gen. 2: 19, 20.* & quod primævus noster parens sanè citra penitissimam singularum naturarum intel-

telligentiam facere haud potuit, quoniam res ista plus quam humanæ erat sapientiæ: unde & Plato in Cratylo *pag. m.* 269. affirmabat, non esse triviale quid, rectam nominum impositionem, sed doctissimorum & præstantissimorum virorum, nonnullaque rerum nomina divina quadam virtute posita esse. Verum cum successu temporis multa hominum, animalium ac rerum nomina non secundum naturalem qualitatem, sed juxta arbitrium humanæ voluntatis inventa, data ac orta sint, ut Isidorus loquitur, hinc omnium nominum etymologiæ non tantum non reperiuntur; sed difficile explicantur, & omnium vocum rationes velle dare, gravis, ardua ac laboriosa res esset: maximè cum post γλωττοσύγχυσιν multiplicatio linguarum variarum inter dispersos orbis incolas paulatim augescere cæpit, & rerum denominationes tam sæpissimè mutatæ sunt, ut nulla fere multorum veterum nominum vestigia extent.

§. 3. Quamvis autem multi ingenio præstantes Viri in investigandis vocum originibus præcipue Lexicographi multum operæ posuerunt, veram tamen vim ac intimam naturam omnium vocum a vera primaque origine dedisse, non concedo. Non omnium enim verborum fontes nobis aperiere, non semper βελτίστου κόμματος sunt quæ in Lexicis traduntur, neque semper nobis optimæ

mæ notæ vocabula oſtendunt; ſed ſæpiſſimè tam quoad ſignificationes, tam quoad origines graviſſimos errores committunt; Vide Lamberti Bos procœmium exercit. phil. & diſſert. annexam de Etymologia Græca.

§. 4. Et quod ad Linguam olim omnibus mundi incolis communem attinet, illa quidem eſt ſancta illa omnium aliarum linguarum primæva atque Mater, quæ, ut aurum viliora metalla, omnes alias linguas ſua ſimplicitate, ac literarum & dictionum gravitate, excellentia atque mirabili efficacia longè ſuperat, quamque ſapientiſſimus Deus parentibus noſtris primis miraculoſè inſtillavit, ſaltem quoad radices, dum per propriam ſapientiam, qua prædiți erant, reliqua derivata, a radicibus deſcendentia, ipſi formare & ſic a Deo edocti Hebræos ſermones ore promere poſſent. Et quam Hebræam linguam poſt γλωττοσύγχυσιν Deus in familia Semi per Heberum inviolatam conſervavit, ac in Eccleſia ſua propagavit, imo in hunc usque diem in Doctorum ore ac paginis maxima ex parte illibatam atque incorruptam manere voluit; attamen deſiderantur quædam radices, quæ ex filiabus, ſeu linguis deductis, peti debeant.

§. 5. Hinc multijugis laudibus cumulandi ſunt quoque omnes illi Viri doctiſſimi, qui ad jacturam amiſſarum originum reparandam

affi-

affines linguas Chaldæam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, aliasque sibi acquisiverunt, ut sic ex filiabus nobis ea suppeditarent, quibus Mater destituta est. Quo in studiorum genere, ut Erpenium, Hottingerum, Bochartum, Cellarium, Relandum, aliosque magnos viros præteream, aliis hanc palmam dubiam reddit callentissimus orientalium linguarum Professor Franequeranus, amicus meus Albertus SCHULTENS. Hic celeberrimus Vir magnum opus molitur, in quo origines hebræas veramque antiquæ Hebræorum linguæ naturam & indolem non tantum ostendere promittit, sed revocata nativa facie ac pulcritudine, ostendere sumpsit, incredibili defectu rem Hebræam premi, uti & in lucem evocare statuit ea, quæ rem Hebræam prostraverunt, & quæ communia literarum tempora obruerant: dum quarto loco, ut ipse fatur, *ea persequenda venient, quæ singularis antiqui orbis genius ab recentiorum interpretum cognitione retraxit, quæque eum in modum in orientis penitralibus abstrusa atque a nostro conspectu seducta sunt, ut nisi orientales ipsi viam muniant, fidosque se duces præbeant, vix est quod unquam ea erui ac illustrari posse fidamus.* Et, ut in specimen hujus utilis laboris, quem in hoc curriculo desudandum sibi sumpsit Vir Cel. præmissas videmus non solum tres disputationes philologicas sacras annis 1715. & 1716. editas, in quibus de vera significatione ac origi-

gine verborum בלג, קרח, בעה, נפץ, זבר suo more perquam docte differit, sed et nuper edidit Originum Ebraicarum L. I. tomum primum, in quo præcipuam Ebraicarum vocum potestatem ex Arabismo eruit, variaque scripturæ loca exinde illustrat; sic optandum est, ut Vir Cel. hoc opus persequatur, & tandem aliquando supremam feliciter cœptis imponat manum: Cui molimini Deus O. M. ipse vires concedat, ut adornato libro coronide ipse dicere queat, immensum spaciis confecimus æquor. (a)

§. 6. Exosculor ergo sincero animo omnium horum virorum heroicos labores in restituendo defectu rei Hebraicæ ex Arabica, Syriaca, aliisque linguis ex Hebræa ortis, imo concedo facile doctissimo Th. Erpenio, dicenti *Orat. 2. de Ling. Arab.* Linguam Hebræam sanctam sine auxilio linguæ Arabicæ plenè & perfectè intelligi haud posse. Nullus tamen dubito, quin omnes Vi-

(a) Quæ clarissimus auctor de meis in hoc studiorum genere conatibus addere voluit, consulto omitto. Cum enim me quam longissime ab iis abesse laudibus sciam, quas tam larga manu in me profudit, eas ut sine rubore legere nequeo, ita ab aliis in hoc opere legi nolo. Idque semel omnino aliis etiam dictum esto, qui non aegre ferent, si, quae illorum erga me benevolentia expressit, mei nominis encomia, heic loci neque invenere, neque in posterum invenient. T. d. H.

Viri prudentiores mihi lubenter conceſſerint, non æquum eſſe ea a filiabus petere, quæ ipſa Mater nobis adhuc præbere poteſt, vel ad deductos declinare rivulos, dum ex ipſo fonte fœcundo ac limpido irriguas aquas bibere poſſimus: id eſt, ut ex aliis linguis ſubſidia quæramus, ubi ipſa Hebræa lingua, ex qua omnes aliæ linguæ ſeu immediatè, ſeu mediatè ſuas origines traxere, (ut Crueiger in *Harm. IV. lingg.* Stephanus *Guichardus* in *Harm. Etymol. linguarum*, *Martinius* in *Cadmo Græco Phœnice*, & *in Lex. phil.* Bernardus Baldus *in Tabulam Æneam Eugubinam* de Lingua Hetrusca veteri ex Hebræo orta ac edit. a 1613. Abraham *Mylius* in libro *de Lingua Belgica* edit. 1612. aliique plures prolixè exſequuti ſunt) nobis exhibere ac præſtare poteſt, quæ quærimus: omnis enim æquus rerum æſtimator minime inficias ibit, quod *dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ*, ſic ego, ut cum Cicerone loquar, haurio potius a fonte, quam rivulos conſecter.

§. 7. Verum ne diutius morer Lectorem, lubet exemplo uno atque altero monſtrare, non ſemper neceſſe eſſe, cum doctis quibusdam ignotas per vias dubios ferre paſſus. Primo loco ſit nobis vox שמים, apud Hebræos ſemper dualis numeri, cum *cœlum* vel *cœlos* notat, ſicuti res, quæ naturæ vel arte geminæ ſunt, apud Hebræos dualis numeri habentur, & ſic hæc vox a Buxtorfio, Altingio aliisque Grammaticis vulgo inter dualia recenſetur

Et

Et intelligitur ea voce non tantum inferior pars cœli, quam alites pervolitant, in qua nubes pendent, vel ea regio, quæ ſtellas gerit; ſed etiam id, in quod Chriſtus aſcendit, nempe cœlum tertium, ſeu שמי השמים, cœlum cœlorum, habitaculum Majeſtatis Dei, in initio a Deo creatum.

§. 8. Sed quæritur jam, quæ ſit origo, quæque vera notio hujus vocis שמים? Quidam, ut R. Joſeph & alii hanc dictionem exponunt, ac ſi dicatur שם מים, i. e. *ibi aquæ*, ibi nempe in illa regione cœli quoque ſunt ac ſubſiſtunt aquæ, quas diſtinguunt tunc ab aquis inferioribus, & quare dualis numeri eſſet: unde Cel. Coccejus notat, „Licet etiam cogitare, in voce una שמים „eſſe repræſentationem tanquam exclamatio„nis hominum admirantium שם מים, *ibi* „*aquæ*! uti ſic Elihu *Job* 36: 24. 25. 26. 27. „28. celebrat quotidianum illud naturæ mi„raculum, quod homines vident & ſtupent, „ibi aquas eſſe & vehi, ac pendere ſupra „caput, & tum mirifice diſtribui.“ Quare alii viri periti, uti & Mar. Merſennus, deducunt a שמם, cujus verbi prima notio deſignat mutationem inſignem, animi ſeu rei, carentiam priſtini decoris ac integritatis, unde non tantum ſumitur pro *vaſtari*, *deſolari*; ſed & pro *obſtupeſcere* ob rei inopinatum eventum, ac novitatem: ſtupor enim animi mutationem indigitat, uti Chriſt. Sto-

Stochius in *Clavi Linguæ Sanctæ* optime hoc verbum exponit. Et sic שמים, *cœli* idcirco à שמם *obstupuit, admiratus est*, deducunt, eo quod homines de iis obstupescunt, allegantes huc verba Elihu ac Davidis *Job.* 35: 5. *Ps.* 8: 4. At huic deductioni repugnat Grammatica, quæ docet literam ultimam vocis defectivæ incremento finali auctæ accipere dages forte ad compensationem literæ radicalis deficientis. Hinc quidam judicant, an non potius deducatur à שאה *stupere*, uti Hithpahel notat, & מים *aquæ*, quod stupendo modo aquæ illic suspensæ hærent. Dum alii ex שא *sustine*, & מים *aquæ* derivant. Martinius dicit in *Lexico Philol.* ad vocem *cœlum*, „sed malo à שם, *nomen, gloria, decus.* „Est enim nominatissima & glorioſissima „pars mundi, addit tamen, aut à שמם *obstupescere*, *mirari*, quia mirandum opus. Sed omnia hæc dicuntur absque sufficienti ratione. Alii igitur cum Rabbinis vocabulum שמים compositum dicunt ex אש *ignis*, & מים *aquæ*, quia in cœlo & meteora & aqua videntur, & quasi Deus cœlum ex aqua & igne in prima creatione permiscuisset, uti *in Bereschit Rabba*, notante Buxtorfio in Lexico, legitur נטל הקב"ה אש ומים ופתכן זה ומהן נעשו שמים *accepit Deus sanctus benedictus ignem & aquam & permiscuit ista invicem, & ex illis facti sunt cœli.*

§. 9. At cui non liquet omnes has deduc-

ctiones esse tantummodo hallucinationes, nitique tenui tibicini? cum genius Linguæ Hebrææ tales compositiones, uti fiunt ex שם מים, seu אש & מים, seu ex שאה & מים, vix unquam agnovit, uti Christ. Cellarius in *Sciagraphia part.* 1. §. 27. recte notat, ubi addit, „quam accuratius AbenEsra in „Gen. 1: 1. originem ejus investigavit נלשון „ישמעאל" in lingua Ismaëlitica, seu Arabica, „in qua radix superstes est, שמא, *altus*, „*procerus fuit*: ut ita טעם שמים גובה ומעלה, „h. e. *vox* שמים *significet rem altam & excel.* „*sam*, quod idem AbenEsra docet c. l. Hinc „in Michlal Jophi Deut. 4: 17. observatur, „quod נשאל זה השם לגובה האויר *hoc* „*nomen* etiam altitudini aëris applicetur, „Confirmat hanc sententiam non tantum doctiss. Cellarius in *usu Arabismi Etymologico pag. m.* 70. sed illustrat eam quoque ex opposita voce ארץ, *terra*, cujus radicem quidam a רצץ *terere*, alii a רוץ *currere*, alii a רצה, *voluit*, *concupivit*, alii aliunde deducunt; ut quam vocem Cellarius derivat ab ارض *humile fuit*, *infimo loco fuit*. Ut ἔτυμον sit cœli ἐτύμῳ plane contrarium. Sicuti Doctiss. Pfeifferus eam vocem ארץ quoque ex Arabismo petit & ab *humilitate* sic dictam putat, in oppositione ad cœlum quod contrarium habens rationem, ab altitudine dictum dicitur. Vid. Pfeifferi *Thes. Herm. pag.* 581. Huic

sen-

sententiæ subscripsere varii viri celebres, ut H. *Opitius*, qui in *Atrio L. S. pag.* 87. vocem שמים quoque derivatam dicit a rad. inusit. apud Arabes superstite, سما *sama*, *altus fuit, eminuit, superne texit*: uti & ארץ a dicta radice apud Arabes exstante, *humilis, depressus fuit*. Sic Christ. *Stochius* in *Clave L. S.* hanc derivationem rectiorem pronuntiat, addens inde, quod שמים generatim notat *id, quod altum est*, sive ratione loci & situs, sive ratione status & dignitatis. Et arridere videtur hæc sententia Doctiss. Geiero, uti in *Comment. ad Eccles. cap. 1. v. 4.* videre est. Videatur & Golii Lexicon *col.* 1219.

§. 10. Nec omni fundamento destituta est hæc sententia, ita enim *cœlum* ut *altum* proponit Elihu, ubi fatur, *intuere cœlum & vide, & contemplare* שחקים *æthera*, נבהו *excelsa sunt præ te*, vel altiora sunt, quam ut possis attingere. Ubi Piscator per שחקים non intelligi vult nubes, substantias densas; ut loquitur, sed cœlum, quia שחקים dicti sunt à substantiæ tenuitate, qualis est substantia cœli, שחק enim generatim notat *rem tenuem, attenuatam*, sumiturque non raro pro cœlo, seu æthere, ut *Psal.* 89: 7. 38. *Deut.* 33: 26. *Job.* 37: 18. & alibi. Et ut גבה notat *elatus, altus, excelsus est, eminuit*, unde גובה, *altitudo*, sic altiores sunt cœli, quam ut attingere possimus, unde Germanica locutio, *der Himmel ist dir zu hoch*. Imo sic cœli in oppo-

sito ad terram, quæ humilis est, alti dicuntur *Psal.* 107: 11. *sed quam alti sunt cœli supra terram*, uti quoque exponitur *secundum altos esse cœlos*, vel, *secundum altitudinem cœlorum super terram, roborata est misericordia ejus super timentes eum.* Confer porro loca *Psal.* 148:1. *Job.* 20: 6. Dan. 4: 11. 20. & *Prov.* 25: 3. in quo ultimo loco Salomon dicit, *cœlorum altitudinis & terræ profunditatis non est investigatio.* Sicuti & *Jer.* 38: 18. *Dominus ait, si mensurari possint cœli sursum & investigari fundamenta terræ deorsum.* Confer etiam *Deut.* 4: 39. & 5: 8. Ex his omnibus non omnino absque ratione concludi posset, cœlum fortean denominatum esse ab altitudine, cujus & Tzophar Nahamathites meminit, cum investigationem sapientiæ Omnipotentis altiorem altitudine cœli, vel altissimo cœlo, declarat, & cœlorum altitudini locum mundi infimum opponit. *Job.* 11: 7. 8.

§. 11. Verum adhuc nondum video sufficientem rationem, quare cœlum Hebraice exprimitur in duali numero שמים, cum altitudo ejus hanc dualitatem non infert, (b) Do-

(b) At enim vero, si nihil aliud est, quod hoc ex Arabica lingua mutuatum ἔτυμον, quod tanta se probabilitate commendat, possit evertere, non video, cur illud a nobis abjiciendum sit. Ut enim alia nunc non moneam, ipse Vir Cl. paragrapho sequenti viam nobis monstravit, qua illi objectioni possit

Doctissimus Glassius quidem canonem fecit, quod dualis terminatio Hebræa ים non semper dualitatem in re ipsa infert, in opere incomparabili ac utilissimo *Phil. S. L. 3. tr. 1. can. 23.* Sed pace Viri hunc canonem non ex omni parte admitto, nec assentior ipsi dicenti, *esse terminatione dualia, ubi rerum dualitas certo ostendi non potest, uti patet ex* מים *aquæ*, & שמים *cœlum.* Quia omnia dualis numeri semper aliquam dualitatem vel in re ipsa ineludunt, vel saltem aliquomodo indicant, licet non semper duplicent, ut in numerabilibus. Vox מים tamen dualitatem satis indicat, si aquas superiores ac inferiores spectemus, & sic de שמים statim videbimus. Imo sic ipsa vox צהרים, *meridies*, aliquam dualitatem indicat, quatenus diem in duas dividit partes, & sic per vocem ארבעתים, *quadruplum*, non quidem cum Davide Kimchio quasi per rigorem grammaticum octo intelligo, tamen bis duo sunt quatuor. Allegat doctissimus J. A. Danzius in *Interpr. Ebr. Chald. cap. 1. §. 36. pag. 47.* locum Jes. 6: 2. ubi mentio fit שש כנפים *sex alarum*, & *Ezech. 1: 6.* ubi de ארבע כנפים *quatuor alis* legitur: tamen natura omni volucri duas modo dedit alas, licet figuris emblematicis plures affingamus.

possit iri obviam, docens, a duabus remotissimis cœli plagis binarii numeri significationem voci שמים potuisse accrescere. T. d. H.

§. 12. Nullus ergo dubito, quin שמים sit dualis numeri vox, a singulari שם. Quæ vox quidem vulgo adverbium loci dicitur, & sæpissime quoque adverbialiter sumitur, notans, *ibi*, *ubi*, *illic*, *istuc*, &c. consideratur tamen aliquomodo substantive, ut locus distans, aut remotus, uti Schindlerus in *Lex. pentaglot.* recte notavit. Usurpatur aliquando hæc vocula שם de re memorata; at plerumque locum certum, notum seu remotum indicat, unde cum ה locali שמה, *eo*, Belgicè, *daarheenen*, *ad cum locum*, *Job.* 1: 21. *Jer.* 22: 27. cum præfixo מ, משם, *inde*, belgicè *van daar*, *ab eo loco*. *Jer.* 13: 6. *Obad.* VI. 4. & alibi. Et sic quidam שמים formant ab hac voce שם, ut à latissima δείξει locorum remotorum, sicuti omne tempus עד, *usque* dicitur, de quo non potest cogitari instans, ad quod non pertingat: ita שמים quasi omne שם, *omne ibi*, q. d. τὸ παντα χῆ; quicquid enim est supra terram שמים appellatur, uti Cel. *Coccejus* in Lexico notavit, & ex eo Guil. *Robertson* in Thes. ad hanc vocem. Sed eo modo ratio nulla datur, quare שמים sit dualis numeri, omnis enim locus remotissimus dualitatem non semper infert, idcirco potius cum Schindlero dicerem שמים ideo esse dualem a singulari שם, quia denotat distantiam a terra æqualem, vel duos mundi polos, circa quos cœlum circumvolvitur: ubi, licet Glassius loco allegato hoc inficia,

eat

eat; notiſſima tamen ratio dualitatis exprimitur. Quoniam enim cœlum ſemper vertitur ab oriente ad occidentem, neceſſe eſt, ut ſemper duo remotiſſima puncta æqualia, vel duæ diſtantiæ æquales deſcribantur, quas *polos* vocamus, a πολέω, *verto*: quorum unus vocatur polus boreus vel arcticus, a ſtella, quæ vocatur ἄρκτος, latine *urſa minor*, ubi maximus flexu ſinuoſo labitur anguis ut Virg. loquitur *G. lib. I. v.* 245. quemque polum arcticum nos Europæi ſemper aſpicere poſſumus, quia ad hoc latus Æquatoris propiores ſeptentrionem habitamus: alter polus vocatur Auſtrinus ſeu Antarcticus, ſeu oppoſitus, quia recte polo arctico opponitur, & quem polum auſtrinum nos Europæi nunquam aſpicere poſſumus, quia tot gradus infra Horizontem noſtrum deſcendit, quot polus arcticus ſupra noſtrum Horizontem elevatur. Hic igitur habemus duas æquales diſtantias cœli, ſeu cœlum ſemper ab utraque parte æquali diſtantia a nobis ſeu à terra noſtra ut & ab Æquatore, remotum: uti optime videre eſt in Sphæra recta, cum utrumque polum adjungamus Horizonti, ſeu Terminatori viſus, abſque ulla elevatione, vel quando uterque mundi polus incumbit Horizonti, & circulus æquinoctialis maxime ab eo removetur, & Zenith vel Semith, punctum perpendiculariter vertici noſtro incumbens,

incidit in Æquatorem, & tam ab auſtrali quam a boreali Horizontis & Meridiani interſectione aſcendendo numerantur 90 gradus: cumque in hujusmodi ſphæræ poſitione omnia corpora cœleſtia ſeu ſtellæ per converſionem cœli diurnam recte ſupra Horizontem ad orientem aſcendunt, æque-que vicinæ ſunt æquatori, & ad occidentem infra Horizontem, recte deſcendunt, ac æque longe ab æquatore recedunt, & ſic ſimul ſupra Horizontem ſcandunt, ſimul Meridianum pertranſeunt, ſimulque infra Horizontem conduntur, & per conſequens omnes in anno viſuntur. Seu reſpiciamus Horizontem Mathematicum, intellectu magis quam oculis comprehenſibilem, dividitur tamen cœlum in duas partes præciſe æquales, apparentem nempe & latentem,& habemus iterum duos polos Horizontis Zenith & Nadir, ſeu duo puncta, unum perpendiculariter noſtro vertici incumbens, alterum ſuperiori ad diametrum oppoſitum, Antipodum cervicibus incumbens, ſeu pedibus noſtris e directo ſubjacens, quæque duo puncta *Poli Horizontis* dicuntur, quod Horizon intervallo quadrantis ex iis tanquam, polis deſcribatur. Et licet in ſphæra parallella circulus Æquinoctialis coincidat cum Horizonte, cum ſtellæ omnes per converſionem cœli nec ſcandunt ſupra Horizontem nec deſcendunt infra eum, ſed in parallelo

rallelo cum eo ſitu perpetuo incedunt, habemus tamen duos mundi polos, unum altiſſime elatum ſupra Horizontem in Zenith, alterum humillime depreſſum in Nadir, ſeu Nathir, uterque diſtans ab Horizonte ex utraque parte gradibus 90. ſic in ſphæra obliqua, ſeu conſtitutione cœli, in qua axis mundi oblique inclinatur verſus alterutrum Horizontis latus, omnes ſtellæ quidem obliquas & inæquales ad Horizontem habent aſcenſiones & deſcenſiones, & æquator, ſeu ἰσημερινὸς, circulus quinque parallelorum maximus, cum cæteris ſignis oblique ſupra Horizontem ſcandit, & infra eundem labitur, manent tamen duo mundi poli, unus præciſe tantum ſupra Horizontem elatus, quantum alter infra eum depreſſus eſt. Adeo ut officium Horizontis ſit cœlum ſemper in duo æqualia hemisphæria, ſupernum & infernum, dividere: uti & æquatoris officium eſt, cœlum quoque dividere in duas partes, in Septentrionalem & Auſtralem: ſicut Meridianus cœlum dividit in duas æquales partes, in orientalem & occidentalem, & limes eſt meridiei & noctis: imo ſic etiam Zodiacus ἀπὸ τῶν ζωδίων, animalibus, quæ in eo finguntur, ſeu circulus major immutabilis inter mundi polos oblique locatus, cœlum etiam dividit in duo æqualia hemisphæria. Ecce! ſic ubique habemus dualitatem aliquam. Et idcirco concludo ex his,

שמים, *cœlum* exinde in duali numero efferri apud Hebræos a ſingulari שם, i. e. *locus diſtans*, aut *remotus*, quaſi dicamus *duo loca diſtantia* ſeu *remota*, quæ jam notavi, quod ſemper in cœlo obſerventur.

§. 13. Et uti citra neceſſitatem non opus eſt ad Arabiſmum confugere, ſic etiam non ad Chaldaiſmum, ſaltem non in iis vocibus, quarum ſignificationes & origines ex puro Hebraiſmo peti poſſunt, uti in variis exemplis oſtendi poſſet.

§. 14. Exemplo jam ſit vox בר, *filius*. Quod vocabulum duodecies in ſacris occurrit *Eſræ* 5: 1. 2. & 6: 14. *Prov.* 21: 2. ter in uno verſu. *Pſ.* 2: 12. *Dan.* 3: 25. 2: 22. 7: 13. & 6: 1. in quo ultimo loco Belgæ vertunt *oud*, cum in Hebræo ſit, Darium Medum accepiſſe regnum כבר שנין שתין ותרתין, *quaſi filium annorum ſexaginta duorum*, i. e. *fermè natum annos ſexaginta duos*. Uti ſic *agni anniculi*, belgicè *jaarig*, hebr. dicuntur בני שנה *filii anni*, *Exod.* 29: 38. Sic Noach dicitur בן חמש מאות שנה *filius quingentorum annorum*, *Gen.* 6: 33. & Sara, Abrahami dilecta ſocia thalami, ſic quoque vocatur בת-תשעים שנה *filia nonaginta annorum*, *Gen.* 17: 17. quo ſenſu vox בן ſæpiſſimè in ſacris uſurpatur, vide *Gen.* 11: 10. 12: 4. *Exod.* 7: 7. *Levit.* 27: 3. *Num.* 1: 3. *Deut.* 31: 2. *Joſ.* 14: 7. *Jud.* 2: 8. & alibi. Et ſicuti jam nemo dubitat, quin בן *filius*, בנה vel בנת, contracte בת *filia*, ſint vocabula he-

hebræa a radicè בנה *ædificavit, struxit*, & quod verbum etiam de procreandis liberis usurpatur, uti sic Rachel & Lea בנו *partis liberis* constituerunt Israelis domum, *Ruth.* 4: 11. qua de re, uti & de lata significatione בן vide doctè differentem Steph. Morinum de *Lingua primæva cap.* 13. *pag.* 160, 161, 162. Sic absque ullo scrupulo vocem בר pronuntio puram hebræam. Licet Schindlerus dicat vocabulum hoc usitatissimum esse Chaldæis & Syris, in pl. ברין. Sed hoc non obstat: plura sunt vocabula in linguis deductis usitatiora, quam in primigenia, quæ tamen in se spectata pura puta sunt Hebræa. Errant ergo, meo judicio, Buxtorfius, Coccejus, aliique omnes viri literati, qui hoc vocabulum בר ex Chaldaismo petunt, ego potius judico, Chaldæos hoc vocabulum ab Hebræis accepisse.

§. 16. Derivatur enim, uti Schindlerus concedit, a radice usitata Hebræis ברה, *elegit, selegit, delegit*, ut 1. *Sam.* 17: 8. ubi Gigas philistæus stans clamabat contra aciem Israël ברו־לכם איש *eligite vobis virum, qui descendat ad me.* A qua radice ego quoque vocabulum ברית *fœdus* derivo, sic dictum ab eligendis personis & conditionibus, ab αἱρέσει partium contrahentium, uti Coccejus rectè loquitur. Et sic בר notat *filium electum* vel *prolem selectam.* Uti sic quam plurima talia vocabula in lingua Hebræa eodem modo derivantur a verbis quiescentibus tertia radicali ה, quod exem-

exemplis quibusdam hic ostendere animus est.

§. 16. Sic 1. ab אבה, *voluit, assensus, propensus fuit*, est אב *pater*, sic dictus a propensa in liberos voluntate.

2. Sic a דמה, *similis fuit, assimilatus est*, secundum Stockium, est דם, *similitudo Esech.* 19: 10. בדמך, *in similitudine tua*: quod tamen melius fortean redditur *in quiete tua*, a rad. דום, *siluit, quievit.*

3. Sic a רלה *extulit, evexit*, est דל; *elatio, elatum Ps.* 141: 3. על דל שפתי *super elatum*, vel *elationem labiorum meorum*, uti Chaldæus hunc locum quoque exponit.

4. Sic a חיה *vixit*, est חי, *vivens, vivum, vita.*

5. Sic a יאה, *convenit, decuit*, est nomen illud Dei decentiæ יה, *Jah*, de quo videatur Coccejus in Lexico suo.

6. Sic a עבה *densus, crassus fuit*, est עב *densitas, trabs.* 1. *Reg.* 12: 10. *Exod.* 19: 9. 1. *Reg.* 6: 16.

7. Sic a ערה *transiit*, est עד *æternitas*, sic dicta, quod omnia secula quasi transit, seu superat.

8. Sic a עלה *ascendit* est על, *excelsus*: הגבר הקם על *vir qui constitutus est excelsus* 2. Sam, 23: 1. vide *Hos.* 7: 16. & 11: 7.

9. Sic a צבה *intumuit*, Num. 5: 27. צב *tumens*, metaphorice *cameratum, testudo*, cujus operimentum quasi cameratum est. *Num.* 7: 3. *Lev.* 11: 29.

10. Sic a צוה *præcepit*, צו *præceptum.* Jes. 28:

11. Sic a קוה *expectavit, præstolatus est*, est קו *linea, filum mensorium*, ubi motus dirigitur juxta regulam. *Jes.* 18: 2. 28: 10.

12. Sic a שלה, *tranquillum esse*, in niph. *errare*, 2. Paral. 29: 11. est של, *error, imprudentia*, 2. Sam. 6: 7.

13. Sic a תוה, in pih. *signavit*, est תו *signum*; Esech. 9: 4. התוית תו *signabis signum super frontes virorum suspirantium*. Sic ἐι ὁ, δὸς σημεῖον. Sic Jonathan, תרשום תוא *signa signum*. Putabant patres quidam hic respici ad signum crucis, uti Origenes, ejus sententiæ princeps, in homilia de Epiphania Domini, *oper. tom. 2. p. m.* 314. scribebat, *literam tau crucis figuram*, seu, *picturam referre*. Hunc sequutus Hieronymus ad loc. Esech. 9. 4. *oper. tom. 5. pag. m. 493.* scribebat, *antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie Samaritani utuntur, extrema Tau crucis habet similitudinem*. At cui notum est Samaritanum Alphabetum, is quoque cognitum habet, Samaritanorum Thau planè nullam cum cruce habere similitudinem aut affinitatem, cum magis nostræ majusculæ literæ *N* figuram refert. Et si ad crucis signum seu figuram vellemus respicere, vel si, ut cum Morino loquar, in literis figuram crucis nanciscì cuperemus, ad Æthiopicas, quarum thau crux est, confugiendum esset, aut ad Ægyptias Hieroglyphicas, unde tot cruces inventæ

in

in Serapidis fano, ſicuti Sozomenus ſcribit *hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 15. Dum templum Serapidis expurgaretur, aliquot ex literis, quas Hieroglyphicas appellant, ſigno crucis ſimiles, lapidibus inſculptas apparuiſſe, eamdemque ſcripturam illam ab his, qui ejus periti erant, interpretatam fuiſſe, ζωὴν ὑπερχομένην vitam ſupervenientem. Quam quidem rem multis paganis præbuiſſe cauſam ſuſcipiendi Chriſtianismi, cum & alia ſcripta teſtarentur, hoc templum tum finem eſſe habiturum, cum hic character apparuiſſet.* Qua de re plura vide apud Ath. Kircherum in *Prodromo Copto ſeu Ægyptiaco cap. 6.* ubi addit, quod legerant Coptitæ in ſacris literis de virtute ſalutiferi ſigni Thau dolentium frontibus impreſſi, & ſciebant illud ſignum finem legis eſſe & omnis juſtitiæ complementum. Dum Hebræi, ut Hieronymus loc. all. notat, autumabant, hic ad ultimam Hebræi Alphabeti literam thau reſpici, quia lex apud eos appellatur תורה quæ hac in principio nominis ſui litera ſcribitur; illi hoc accepere ſignaculum, quod legis præcepta compleverant. Et Conradus Mel *in Antiquario ſacro cap. 1. §. 5.* carpit Coccejum vertentem *ſignabis ſigno*, addens, *ſed quia tunc propius ad rem feciſſet vocabulum* אות, *& propheta hæſiſſet dubius, quali ſigno frontes notandæ fuiſſent, non videmus, quid obſtet, quo minus ſtatua-*

tuamus, indicari literam ת *ultimam Hebræorum, tanquam initialem vocis* תהיה, vivet, *er ſoll leben, vel primam literam ex* תלוי, ſuſpenſus, *eo quod Angelus iis pepercerit, qui fidem in Meſſiam inde gerebant, & abominationes incolarum improbabant.* Imo ſi ad figuram crucis vellemus in illo Eſechielis loco reſpicere, & per תו intelligere non *ſignum*, ſed literam ת, quaſi Dominus dixiſſet, uti quidam vertunt, *ſignabis* ת, *thau ſuper frontes* &c. tum Hebræorum ת magis accederet ad figuram crucis, quam Samaritanorum א *thau*; nam refert ת patibulum, inſtar Græcorum pi π, qualia ſolent eſſe patibula, & olim quædam cruces, ut Lipſius oſtendit *de cruce lib. 3. cap. 5. & in not. ad l. c.* Verum licet pia accommodatione ad crucem Soſpitatoris poſſemus reſpicere, ſeu magis ad fidem in Meſſiam crucifigendum, nemo tamen pro certo dicere poteſt ſignum illud crucis figuram habuiſſe. Sed hæc ἐν παροδῷ. Plura qui hac de re deſiderat, legat St. Morinum *de L. primæva cap. 8.* Joh. *Heringium de Homicidio pag.* 80. 81. &c. ubi Cocceji epiſtola de hac re ad Heringium ſcripta videtur, dum Cocceji præceptor Matthias Martinius plura quoque hac de re ſcripſit *in Lexico philolog. ad lit. T.* Videatur & (b) Joh. Bapt. Ottii *epiſt. de Numis Samarit.* ad calcem Relandi

diſſ.

diſſ. 2. de Nummis Samarit. ubi mentio fit literæ ת figuram crucis Andreanæ X in nummis Samaritici, contradicit tamen Hieronymo thau Alphabeti Samaritani crucis habuiſſe figuram.

§. 14. Tandem huc referre poſſem דג, *piſcis*, quæ vox vulgo etiam derivatur a דגה, *multiplicatus eſt*: quod verbum ſemel tantum in ſacris occurrit, *Gen.* 48: 16. ubi Jacob in benedictione ſua ſuper Joſephi filios dicit וידגו & *multiplicentur*, vel, ut alii vertunt, *inſtar piſcium ſint* nempe, ut in textu additur, *in multitudine*, vel, *tanquam piſces multiplicentur*. Adeo ut piſcis nomen traheret a multiplicatione, uti Schindlerus, Coccejus, Stockius aliique Lexicographi in ſuis Lexicis tradidere. Verum uti apud Hebræos פש, *abundantia*, *Job.* 35: 15. eſt a פוש, *abundare*, *creſcere*, *Hab.* 1: 8. *Mal.* 3: 10. uti צר, *anguſtia*, eſt a צור *arctavit*, & uti דם, ſecundum Buxtorfium ac alios, *quies*, eſt a דום, *ſiluit*, *quievit*, & ſic in ſimilibus ejus generis vocabulis, ſic ego quoque דג, *piſcis*, derivarem a דוג *piſcari*, in Hiphil. הדוג, uti ſic per aphæreſin ד occurrit Jer. 16: 16. ubi Jehova dicit, *eccę! mittam* דוגים *piſcatores multos*, ודיגום (pro והדיגום) &

(b) Confer inprimis eruditam V. C. J. C. *Harenbergii* diſſ. quæ in hac *Bibl.* exſtat T. VI. Faſc. VI. Diſſ. 3.

& *piscabuntur illos*: Quæ verba Christ. Stockius in *clave ling. Sanct. pag.* 245. exponit de Judæorum hostibus, qui instar piscium eos capturi erant, sicuti Piscator, Calvinus ac alii quoque exposuere. Piscator per *piscatores* intelligebat Ægyptios, viventes ex piscatu; & per *venatores* Babylonios, at Calvinus per *piscatores* & *venatores* intelligebat Chaldæos, qui totam terram exinanirent incolis, & filios Israel in suas attraherent nassas. Verum non prorsus alienum est, hæc exponere de Apostolis, Evangelistis aliisque Doctoribus ecclesiæ, piscatoribus spiritualibus, qui, ut Coccejus loquitur, Israelitas reducerent, ac colligerent, imo cum quadam violentia compellerent intrare, adeo ut claritate demonstrationis cogerentur manum dare veritati: uti enim Propheta versu præcedenti vaticinatus erat de liberatione populi, sic versu 16. prosequitur ea, quæ concionari cœperat de futura illa liberatione ac reductione. Et allegoria hæc non est remota, sic enim Christus discipulis suis occasione piscaturæ dicebat, δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων, *Matt.* 4: 19. qui in mare Ethnicismi Evangelicam sagenam demitterent εἰς ἄγραν, *ad capturam*, & *homines vivos* & *ad vitam caperent*, uti verbum ζωγρεῖν indicat, *Luc.* 5: 10. cum nempe homines, longe late per orbem dispersos, ut piscatores retibus pisces undique capiunt, prædicatione Evangelii ac demon-

stratione divinarum veritatum allicerent, persuaderent, adducerent, ac dulcedine verbi cœlestis captos Christo subjicerent: quod & Chrysostomus phrasi σαγηνεύειν τὰ πλήθη εἰς εὐσέβειαν, *multitudinem ad pietatem pertrahere*, seu *quasi reti pertrahere*, exprimebat, dicens etiam, τὰς πλανωμένους πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν σαγηνευειν, *errantes ad viam veritatis deducere*, & *quasi reti pertrahere*, uti Suicerus notat *in Thes. Eccles. T. 2. col. 922.* quem etiam vide ad vocem ἁλιεύς tom. 1. col. 191, ubi ex Basilio notat, γλώττῃς σαγηνεύειν τὰ ἔθνη, *linguis gentes capere*, quod Apostoli prædicatione evangelii præstiterunt. Hinc ipsum *regnum cœlorum dicitur simile sagenæ jactæ in mare*, Matt. 13: 47. ubi Evangelium comparatur reti, quo homines Christo subjiciuntur, sicuti & Ez. 47: 9. 10. os divinum vaticinatur, fore talem copiosam piscationem in mari, essent enim *pisces multi valde*, & *starent juxta torrentem piscatores*, qui, effusis per orbem aquis doctrinæ salutaris, evangelica retia expanderent, ac homines ad vitam caperent. Hæc iterum in transitu.

§. 18. Ex his omnibus igitur allatis exemplis concludo, vocem בר esse purum vocabulum Hebræum (c) a ברה, *elegit*, & notare

si.

(c) Verum enim vero, si Cl. Authorii collubuerit pensitare diligenter, quae hujus Bibliothecæ T. VI. Fasc. I. p. 178. sqq. commentatus sum de origine hujus vocis ubi mirum quantum harmonicum illus apud tot Orientis pariter atque occidentis popu-

los

filium electum, prolem selectam, sequiori contradistinctam. Sicuti juvenis vocatur בחור *electus*, a בחר *elegit*, *Esech.* 9: 6. *Prov.* 20: 29. *Ps.* 48: 12. & juventus, *ætas selecta*, בחרות *Eccles.* 12: 1. Quod & optimè quadrat Christo Filio Dei electo ac dilecto, qui, uti David appellabatur בחיר יהוה *electus Domini*, 2. *Sam.* 21: 6. Sic quoque à patre suo vocatur בחירי *electus meus*, quem pater elegerat, quo delectabatur anima sua, *Jes.* 42: 1. quemque ut alterum Davidem extulerat, *Ps.* 89: 20. cujus *aspectus* dicitur *ut Libanus, electus ut Larices*, vel *cedri*, *Cant.* 5: 15. & de quo vox de cœlis dicebat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth.* 3: 17.

§. 19. Et sic insignitur Christus hac denominatione *Ps.* 2: 12. cum dicitur נשקו בר. Quæ verba Chaldæus paraphrastes reddidit, קבלו אלפנא, quod Græci interpretes secuti sunt, cum transtulere δεξασθε παιδειας, uti & Vulgat. Lat. *apprehendite disciplinam.* Quam versionem Bellarminus quoque sequitur *Lib. 2. de verbo Dei cap.* 13. ubi dicit *apprehendite disciplinam.* At nunquam demonstrari potest, בר notare *disciplinam.* Alii vertunt *adorate pure*: quia בַּר etiam *purus, mundus* est, a ברר *purificavit*, unde בר *puritas*, ברית *smegma.* Sed

dos usum exhibui, vix dubito, quin potius à radice, quae *foetum edere*, *foecundum esse*, PARERE notat quam ab illa, quæ *eligere* significat, illam sit derivaturus. T. d. H.

notandum, quod בַּר nunquam legitur pro adverbio. Etsi nomen esset, deberet legi נשקו ברים *osculamini puri*, quoniam grammatica non patitur legi נשקו בר *osculamini purus*. Melius tunc legeretur *osculamini eum, qui purus est, vel osculamini electum* uti Kimchi quoque exponit, qui tamen etiam dicebat, בר idem valere ac בן *filium*, & sensum tunc esse, osculamini filium illum, quem Deus ipse suum appellavit filium, ut supra dicitur, *filius meus es tu*: addens, rationem dicti hujus *osculamini* desumendam esse a consuetudine, qua servus heri sui manum deosculari solet. Vide Kimchium in h. l. In genere osculum propensionis affectum notat, At cum oscula quoque sunt signa amoris, honoris, ac venerationis, sensus est, amate, diligite, veneramini, ac adorate filium, quem pater unxit in Regem, eum colite, eum magnificite ac honorate summa veneratione: imo sicuti nos ei adjungimus, quem osculamur, sic addi potest, credite in Filium, eum agnoscite verum Messiam ac Redemtorem, ei unimini vera fide ac charitate; adeo ut hoc osculandi verbum totum cultum Dei Filio debitum includat.

IX.

IX.

JOANNIS ALBERTI

V. D. M. Hoogvvoudani,
(in Hollandia Boreali)

Obſervationum Criticarum in *Heſychium* Specimen.

QUanti pretii ſit, fueritque inde a renatis humanioribus literis, Heſychii Lexicon Græcum, norunt Eruditi, ſuisque certatim elogiis conteſtati ſunt. Illius enim libro (ut elegantiſſimi Brioſii verbis utar, *Epiſt. p.* 90.) recondita, & quaſi e fundo Antiquitatis eruta vocabula, ſeu ſcriniolo erutæ e fundo maris gemmulæ aſſervantur. Quicquid eruditum, quicquid rarum eſt & elegans, ipſa denique Græciæ viſcera hic proſtant. Fateor, duo ſumma noſtræ ætatis lumina Criticeſ Heſychium exigua fide auctorem dixiſſe, quique ex mendoſis Codicibus infinita deſumſerit, & eodem, imo majore ſtupore quam

Suidas, tam recta quam prava in Lexicon congesserit suum. Sed sciendum omnino, multos olim Hesychii purpuræ (utor verbis τῦ Κερκωπάτε Tan. Fabri ad Anacreont. p. 117.) suos pannos assuere ausos fuisse, & optima quæque corrupisse, aliquando etiam detraxisse. Absolvendus itaque Glossographus, qui Princeps facile Criticorum apparet ex iis quæ supersunt. Ceteris venia danda.

Nec immerito Viri Docti eum in operibus suis passim illustrare atque emendare conati sunt. Imo optandum foret, ut nitidior aliquando prodiret Noster (quod multi aut promiserunt, aut aggressi sunt) & sic usui plurium exponeretur. Ego per otium quam plurimas Eruditorum curas huc contuli; Sæpius & ipse aliquid tentare ausus sum, cujus rei Specimen exhibeo, levius quidem, & si minus peritiæ, saltem industriæ ac amoris erga has literas aliquam laudem reportaturum.

A.

Ἀεσιφροσύνησιν, ἀνοίαις.] Ita apud Hesiod. Theog. v. 502. -- ὅς δῆτε πατὴρ ἀεσιφροσύνησιν.

Ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ, ἀντὶ τῦ ἥσυχοι &c.] Respicit Hom. *Iliad.* Γ. v. 95.

Ὡς ἔφαθ' οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.

Ἀκέραιον. καθαρὸν, θεῖον, ἁγνόν.] Salmas. legit Ἀκήραιον vel ἀκήρεον. Sed recte se habet.

Ἀκαι-

Ἀκέραιος enim notat *purum* & *candidum*, propr. *innocentem*. Euripid. *Oreſt.* v. 923.

Ἀκέραιος, ἀνεπίληπτον ἡσυχῇ βίον. Hinc ſuſpicor, ſupra, ubi Ἀκέραιον explicat Lexicographus per ἀνεπιπληκτον, legendum eſſe ἀνεπιλήπτον. Certe infra pro Ἀνεπιπλήκτοις, ἀμέμπτοις, Soping. leg. ἀνεπιλήπτοις. Quod ſi malis Salmaſii lectionem, non multum refragabor: Suadet enim ordo alphabeticus. Quem tamen non accurate ſequi Heſychium, omnis pagina teſtis.

Ἀλάβαστος, λήκυθος.] Guiet. leg. ἀλάβαστρος. Perperam. Thom. Mag. Ἀλάβαστον, δίχα τοῦ ῥ· Ἀττικοὶ μετὰ, δὲ τοῦ ἁπλῶς Ἕλληνες.

Ἄλοε, τύπτει.] Leg. Ἄλοιε, vel ἄλοε, ab ἀλοάω, pro quo etiam ἀλοιάω. Recte Guiet. paulo ante pro ἄλοιε, ἔτυπτεν, repoſuit etiam ἄλοιε. Eademque opera corrigendus Moſchopulus: Ἄλοιε, inquit, τὸ τύπτειν, ἐξ οὗ καὶ μητραλοίας. Sic in editione Vaſcoſani. Lege, Ἄλοιε, & μητραλοίας. Heſych. hoc loco, & infra in voce, μητραλοίας quoque habet. Pejus Philoxeni Gloſſæ: Μητρολώας, *matricida*. Aut cum Goldaſto & aliis ſcribendum μητραλώας, aut plane reſtituendum μητραλοίας. Eædem Gloſſæ: ἀλωάω, *Batuo*, *trituro*. Leg. ἀλοάω.

Ἅλὸς ἄχνη, θαλάσσης ἀφρός.] Steph. una voce Ἁλοσάχνη legit in notis, ubi perperam ἁλοσύχνη expreſſum eſt. Sed recte diviſeris. Hom. *Iliad.* Δ. v. 426.

- - - ὀπτεύει δ' ἀλὸς ἄχνην.

Dioscor. l. V. c. 127. agit περὶ ἄχνης ἁλός.

Ἁλὸς θείοιο, ἐντίμου &c. Respicit Hom. *Il.* Γ. v. 214. Quem locum tractat Plutarch. *Sympos.* l. VI. *quæst.* X. p. 684. Mox Ἁλοσύδνης meminit Hesychius, spectans Hom. *Il.* Υ. v. 207. -- καλλιῤῥόου ἁλοσύδνης.

Ἄμπυκας. κεκρύφαλον κόσμον γυναικῶν.] Pone primo distinctionem post κεκρύφαλον; dein lege ἄμπυκα, qui est casus quartus vocis ἄμπυξ, i. e. *vitta*, seu *redimiculum*, capitis muliebris ornamentum, *Lydis* maxime familiare (teste Hesychio in Αυδίῳ νομῳ) quod auro gemmisque distinctum, lautiores feminæ adhibebant ad constringendam comam, ne diffluere.

Ἀνερεψάμενοι, ἀναρπάσαντες.] Statim sequitur: Ἀνερέψαντο, ἀφήρπασαν. Alteruter locus in mendo cubat, legendumque vel ἀφαρπάσαντες, vel ἀνηρπασαν. Posterius præfero, quia Noster infra Ἀνηρέψαντο rursus explicat ἀνήρπασαν. Ne vero triplex prioris vocis differentia te moretur, scribe Ἀνερειψάμενοι, & Ἀνηρείψαντο, non ἀνερέψαντο & ἀνηρέψαντο. Alludit ad Hom. *Il.* Υ. v. 234.

Τὸν ῥα καὶ ἀνηρείψαντο θεοί - -

Ἀντιτάσσεται, ἀντίκειται.] Respexisse videtur, ut sæpius, ad locum N. T. qui est *Jacob.* IV. 6. ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται.

Ἄσσον ἴπε, ἐγγὺς ἔρχεσθε.] Respicit Hom. *Il.* Δ. v. 335.

B.

Βαθυκήλπων, ἡρωϊδων, ἀπὸ τῦ μεγέθες, καὶ βαθυζωνων.] Occurrit hoc epitheton apud Anacreont. Ode V. v. 14. Μετὰ κέρης βαθυκήλπυ. Fruſtra vero quæſieris apud Homerum, ut ibid. notavit Summus Criticus.

Βαρυκαρδιοι, ἀσύνετοι, μωροί.] Fruſtra alii legere voluerunt βαρυκάλοι, cum vox ipſa, prout apparet, adhibeatur a LXX. Pſ. IV. 2.

Βίην Ἡρακληείην, ἀδελφεαπατῶς τὸν Ἡρακλέα.] ita Heſiod. Ἀσπ. v. 52. Ubi vide τὸν πάνυ.

Βομβρομεῖν, μετὰ σπυδῆς ἀδολεσχίνεσθαι.] Hoc ſenſu uſus eſt Eurip. *Heraclid.* v. 122. Βομβρομήσας &c.

Βρόμος —— —— καὶ ὀσμή ——] Sic ὀι ὁ Job. VI. 7.

Βρόμον γαρ ὁρῶ τὸ σῖτόμε ὥσπερ ὀσμὴν λεόντος.

Βώλαξ, βῶλος. γῆ.] Job. VII. 5. βώλακας γῆς dixit. Unde & hoc loco reſcribendum videtur βῶλος γῆς.

Γ.

Γαλιλαία. κατακυλισή.] Exponit vocem Hebræam. גלל enim eſt κατακυλίειν.

Γενέσια, ἑορτὴ πάνδημος Ἀθηναίοις, ὁι δὲ τὰ νεκύσια καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ γῇ θύεσι. γένεσιν πατέρα. ἢ μᾶλλον.] Quisque videt corruptum locum. Pro πάνδημος Palmerius & Salmaſ. πάνδημος, Soping. πένθημος vel πάντημος, leg. Scribe abſque hæſitatione, πένθιμος: γενέσια enim, teſte Ammonio, ἐπὶ τῶν πενθικότων.

Sed quid postrema sonant? Ergo distingue & lege: † Γένεσιν, πατέρα, ἢ μητέρα. Novam vocem explicat Glossographus. Olim vero μητέρα per compendium pinxerunt μρα, quod norunt Eruditi, & in hoc loco exhibet editio Aldina. Sed rarior est hæc significatio vocis γενέσεως. Occurrit in illo Nicandri apud Suidam:

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις - -

Plura non addam, quæ, volente Deo, brevi conspicies in *Observationibus* nostris *Philologicis ad N. T.* jam Typographo traditis. Ubi & binas alias conjecturas proposui (licet hanc præferam) vocemque γενέσια latius ex Veterum Criticorum placitis illustrare conatus sum, ad *Matth. XIV. 6.*

Δ.

Δεξιὸς, συνετός &c.] Ita Schol. Sophocl. ad *Ajac.* v. 183. Ἀριστερὰ οἱ παλαιοὶ τὰ μωρὰ ἐκάλουν, δεξιὰ δὲ, τὰ συνετά.

Δώματα, οἴκου, οἰκήματα &c.] Sublato levi vitio scribe οἶκοι.

E.

Ἔδεσμα, βρῶμα. ἐδέσματα φαγία, βρώματα.] Salmas. pro φαγία legit περισφάγια. Vide an non rectius distinguas, & legas. † Ἐδέσματα, φαγικὰ, βρώματα. Apud Apulej. *Apolog.* c. LX. Q. Ennius *Edesphagitica versibus scripsisse* dicitur. Ubi Casaubonus *Edestis aut Phagicis* scribendum arbitratur. Quia vero ἐδεσὰ & ἐδέσματα parum differunt, recte

ἐδέσ-

ἐδέσματα dicuntur φαγικά. Conf. Hesych. in ἐδεσὸς, quod explicat βρώσει ὑποπίπτων καὶ τρυφῇ. An τροφῇ?

Ἐκεῖ, μακρόν.] Respexit procul dubio ad duo loca N. T. quæ contulit. Luc. VIII. 32. καὶ ἦν ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων. Matth. VIII. 30. in eadem historia: ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη &c. Quare minus necesse est, ut cum Pricæo in ultimo loco legamus ἐ μακρόν. Plura dabunt *Observationes* nostræ ad h. l.

Ἕλικας, ἑλικηκεράτας, ἐπικαμπῆ τὰ κέρατα ἔχοντας.] Loquitur de *bobus camuris*, quos ἕλικας vocat Hesiod. ἔργ. v. 452. Ubi vid. ὁ πάνυ.

Ἐν ἀτόμῳ, ἐκ ῥιπήματι, ἐν τάχει.] An legendum, ἐν ῥιπῇ 1. Cor. XV. 52. Ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ.

Ἐνδυκὲς - - πρόθυμον, ἔυπνον, πιστόν -]

L. ἔυνον. Præcedit ἐνδυκέως, φιλοφρόνως, ἐπιμελῶς. Quod adverbium habet Hom. *Il.* ψ. v. 89. & Ascræus Ἀσπ. v. 427.

Ἐνετείλατο, παρήγγειλεν &c.] Passim occurrit in N. T. Damnat autem Moeris Atticista hanc vocem (quod notare lubet) cum ait: Ἐνετειλάμεν παρ' ἑδενὶ ἔυρον, ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ ν τὸ π ὁ γραφεὺς ἔγραψεν. ἐπετείλατο. Sed, præter Scriptores Sacros, Polyb. p. 1277. ed. Gronov. ἐντειλάμενος, & Lucianus *Philop.* p. 771. ed. Græv. (aut si quis alius auctor sit illius Dialogi) ἐνετείλατο dixit.

Ἐρ-

Ἑρμοχοίνιος γῆ, ἡ Αἴγυπτος τὸ πρότερον ἔτως ἐκαλεῖτο.] Leg. Ἑρμοχήμιος γῆ, q. d. Chemia Hermæ. Ægyptus olim *Chemia* ſive *Chamia* appellata fuit.

K.

Καλέονται, καλεῖται.] Lege, καλεῦνται.

Κατὰ συνδασμὸν, κατὰ κοινωνίαν, κατὰ σύμπαξιν] Emendatius forte leges σύνδεσμον. D. Paulus ad *Epheſ.* IV. 3. ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης dixit.

Κοππατίας, ἵππος κεκαυμένος, ἐνπετυπωμένον ἔχων σημεῖν τὸ κόππα. ὅ ἐϛι ἀπεϛραμμένον ϙ καὶ σ.] Pro σημεῖν primo pone σημεῖον: dein pro ἀπεϛραμμένον ſcribe ἀνεϛραμμένον, ut Sup. in V. Κάππα, ut ibi male legitur. Quem locum depravatiſſimum optime reſtituit Princeps Criticorum, Rich. Bentleius. *in notis ad Callimach. Fragment.* p. 418. p inverſum ſive q Koph Phœnicum, nota equorum femoribus inuſta.

A.

Λεχώ, περσφάτως τετοκυῖα.] Illuſtriſſ. Ezech. Spanhem. *Obſerv. ad Callimach. p.* 9. docet, hic omnino legendum eſſe λεχωΐς. Sed λεχὼ hoc ſenſu etiam occurrit apud Hippocrat. *de Morb. Mulier.* l. 1. c. 88. & Eurip. *Electr. v.* 637. Λεχὼ μ' ἀπαγγέλλ' ὅσαν ἄρσενος τόκῳ. Conf. easdem *Obſervat. p.* 363. Plura non addam: & hæc ſalvo Tanti Viri honore dicta ſunto.

Λιχμίζει, ἁλοῖ.] Leg. Λιχνίζει, ἁλοᾷ ſeu ἁλοιᾷ.

Aut

aut potius in fut. λικμήσει, ἀλοοῖ. Sequitur: λικμῶντες, ἀλοῶντες. Leg. ἀλοῶντες.

Λύει, λυσιτελεῖ.] Respicit locum Eurip. *Med.* v. 566. Ἐμοί τε λύει, sc. τέλη. Quod addit Sophocl. *Oedip. Tyr.* v. 324. Inspice Scholia ad h. l.

Λωτὸς, τράγημά τι καὶ αὐλὸς καὶ δέδρον &c.] L. δένδρον, & vid. Eunap. *Ædes.* p. 44. παραδόντες αὐτὸς καθάπερ οἱ τῷ λωτῷ γευσάμενοι. Unde sequentibus lux affunditur.

M.

Μασαρίζειν, μασιχᾶσθαι - - - ἢ σφοδρῶς - - - μασᾶσθαι.] Summus Salmas. μασαρύζειν reponit ex Eustathio. Quam vocem Comicus in *Acharn.* agnoscit. Sed conjicit, pro μασιχᾶσθαι legendum μασικᾶσθαι. Quod mihi nondum videtur. Per χ enim usurpat Hesiod. Ἀσπ. v. 389.

- . - ἀφρὸς δὲ περὶ σώματα μασιχόωντι

Ἀείβεται. Notat *commanducare.* Ex Thoma Reinesio elegantia tradit ὁ πάνυ *in Lection. Hesiodeis.*

Μέροπες, ἄνθρωποι διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα ἤγουν τὴν φωνήν. ἢ ἀπὸ Μέροπος τοῦ πρὸ Φαέθοντος Κώϊ. λέγονται δὲ καὶ Κῶοι Μέροπες &c.] Sufficerit hic indicasse Jac. Mosanti Briosii literas elegantissimas ad Premontium, p. 176. & seqq. quas legat harum rerum studiosus.

Μήτιγε, πόσῳγε μᾶλλον.] Est interrogandi for-

formula, cujus notam recte appinxeris. Spectat locum Pauli, vel ſimilem, qui eſt 1. *Cor* VI. 3. ἐκ οἴδατε ὅτι ἀγγέλες κρινῦμεν; μήτι γε βιωτικά;

N.

Νενίηλος, τυφλὸς, ἀπόπληκτος, ἀνόητος.] Reſpexit procul dubio ad Callimach. *Hymn. in Jovem, v.* 63. Ὃς μάλα μὴ νενίηλος - - - *niſi eſſet plane ſtupidus.* Eſt a νέν, idque ex particula σερητικῇ & voce νῦς, idem quod βλεννός. Nusquam occurrit hæc vox, præter loc. laud. ut obſervat ibid. Vir illuſtris.

Ξ.

Ξύμβολος, μάντις ἢ ἓυ συμβάλλειν δυναμένη.] Hinc liquet notio τῦ συμβάλλειν pro *conjicere*, vel *vaticinia interpretari*, eorumque *mentem aſſequi*. Quomodo vocem συμβάλλουσα Luc. II. 19. rectius quam alii nuper explicuit Cl. Elsner. Quod innumeris exemplis probare facile eſt, quorum ampla copia in noſtris ad h. l. Obſervationibus. Quibus adde locum Ælian. *Hiſt. anim. l.* XI. c. XIX. p. 664. Sic Alexander dicitur. ἐκ τῶν φαινομένων τὸ εἰκὸς ξυμβαλεῖν ἐπιτυχέσατος, ab Arriano in ejus *Exped.* L. VII. c. XXVIII. p. 310.

O.

Ὀλισθήμασι, πλάναις, παραπτώμασιν.) Adduxit Sopingius in notis locum *Ezech.* XXXVIII. καὶ καταλείψουσιν ἐν ὀλισθήμασι πόδας

σε

σε. Fruſtra quæſivi. Exſtant ea verba apud *Ierem.* XLV. 22. juxta Cod. Vatic. (in Compl. XXXVIII. 22.) Sed neuter Codex habet καταλείπσσιν. Romanus certe καταλύσσσιν, Complut. κατισχύσσσι præfert.

Ὁμοίῳ - - - - τείρει ὁμοίον.) Scribe accuratius, ὁμοΐον. & paulo ante, ὁμοίῳ. Cetera quæ obſcura erant, peritiſſime elucidavit Vir Summus, L. Bos, Præceptor olim meus (quo glorior) meritiſſimus nimis (eheu!) cito nobis reique literariæ ereptus. Vide ipſius *Obſerv. Crit. p.* 175. & 188.

Οὐτέ τω, ἤτε τινί.) Scribe, ἤτέ τῳ, cum jota ſubſcripto. Plura de hac particula in *obſervatis* noſtris ad *Matth.* XXVIII. 17.

Π.

Παρακμάζων, παραμυθούμενος.) Aut omnia me fallunt, aut pro priore voce reſtituendum, παρακαλέων: hoc enim eſt παραμυθούμενος, *conſolans*, illud vero *marceſcere* notat; quæ plane ſunt diverſa. Ortus error e majusculis, ΠΑΡΑΚΑΛΕΩΝ. Ita enim proclivi

ΠΑΡΑΚΜΖΩΝ,

lapſu prius παρακμζων formarunt, quod ſono & ſenſu carens mutarunt, interpoſito α, in παρακμάζων. Hanc emendationem liquidius probabo in *Obſervationibus* meis.

Παράνομος, ἄνομος, ἄδικος, ἄθεσμος, ἁμαρτία

τίαν.) Sic emenda. παράνομος, ἄνομος. ἄδικος, ἄθεσμος † Παρανομία, ἁμαρτία. Res clara est.

Περίτριμμα, τετριμμένων.] Leg. τετριμμένον.

Περιττοὶ, περισσοὶ, περίεργοι.] L. περίεργοι. Supra περίεργον explicat etiam περιττὸν.

Πρόδρομα - - - - - τὰ προακμάζοντα σῦκα.] Salmas. legit, πρόδρομα. Scribe, προδρομοι. Sic enim vocantur τὰ προακμαζοντα σῦκα, apud Theophrast. *de caus. Plant. l.* V. c. 1. Et ὀι ὁ *Esai* XXVIII. 4. ὡς πρόδρομος σύκου. Aquil. πρωτογέννημα. Theod.: πρόϊμος. Quomodo Hos. IX. 10. ὡς σκοπὸν ἐν συκῇ πρωΐμον. (ubi Cod. Barber. in marg. πρόδρομον) forte restituere liceat πρόϊμον, per ὁ μικρὸν, quod Hesych. explicat σῦκον προακμάζον.

Πυρὸς δηΐϊο, ὑπὸ τῦ πυρὸς τῦ πολεμικῦ.) Lege, πυρὸς δηΐοιο, ex Hom. *Iliad.* B. v. 415.

- - - - πρῆσαι δὲ πυρὸς δηΐοιο θύρετρα.

Quem locum respicit, notans ibi ellipsin τῦ ὑπό.

Σ.

Σαγάριος, ποταμὸς Λυδίας καὶ Φρυγίας.) Lege, Σαγγάριος, per duplex γ. De quo fluvio Arrian. *Exp. Alex. lib.* I. c. XXX. p. 59.

Σαπεῖρον, τὸ καλὸν ἱμάτιον, καὶ τὸ ῥακκῶδες.) L. ῥακῶδες. Et ita Sup. p. 810. ῥακὰ & ῥάκος legendum, cum simplici κ, ut recte ibidem ῥάκη. Cave vero, τὸ καλὸν in κακὸν ἱμάτιον mutes, cum Viro docto. Ita quidem consonat

ſonat ſequens ῥακῶδες, ſed non debebat. Σπέρμα enim Græci non tantum vocarunt τὸ ῥάκη, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀμείνας ἐσθῆτας, ut ex Polluce lib. VII. c. XVIII. veriſſime obſervavit Vir Excellentiſſimus Ezech. Spanhem. *ad Callim. p.* 15.

Σφριγῶν, ἀκμάζων, νεάζων, ἄυξων.] Idem fere Suidas. Dixit Longus *in Paſtor. l. III. p.* 79. οἱ δὲ νέοι καὶ σφριγῶντες. Vide ſis, illic loci Cl. Moll.

T.

Τάμισος, ἡ πιτύα.] Vir doctus emendaverat, πυτία. Recte vero defendit vulgatam lectionem Cl. Bos *Animadv. p.* 135. adducto loco Theocriti, *Idyll.* ια. (non α. ut typi referunt) v. 66. ubi τάμισον dicit *coagulum*, in Scholiis πιτείαν, pro quo V. Cl. πτύαν reſtituit. Utrumque firmare valet alter locus ejusdem Theocriti, *Idyll.* ζ. v. 16. ubi νέας ταμίσοιο meminit, pro *recenti coagulo*, & Schol. inter alia: Τάμισος γὰρ ἡ πτύα εἴρηται, ἀπὸ τὸ θαμίζειν, ὅ ἐστι πυκνῶν τὸ γάλα περὶ αὐτὸ στρεφόμενον. ἢ ἀπὸ τὸ ταμείων ἀξιοῦσθαι διὰ τὴν χρῆσιν. An non potius a ταμεῖν, *ſecare?*

Ταυίσφυρος, ὀρθόσφυρος &c.] Leg. ταυύσφυρος, quod habet Heſiod. Ἀσπ. v. 35. — ταυυσφύρου Ἠλεκτρυώνης.

Τηΰσίην, μαπαίαν. σὺδὲ τηΰσίαν ὁδὸν ἔλθης. &c.] Hic figenda eſt major diſtinctio, atque ita ſcribendum:

- - σὺ δὲ τηῦσίην ὁδὸν ἔλθης. Quod hemistychium desum sit ex Hom. *Odyss.* γ. v. 316.

Υ.

Ὑπόσκοπον χέρα Αἰχυλ. &c.] Scribe χεῖρα.

Ὕσπληγξ, ἄφεσις, ἀφετηρία &c.] Hinc liquet, quando sup. p. 168. Ἄφεσιν, ὕσπληγα explicuit Noster, posteriorem vocem quidem rescribendam esse ὕσπληγγα, quod fecit Salmasius; minime vero ἄφεσιν in ἀφετηρίαν mutandum esse, ut voluit Vir Doctus. Utrumque hic agnoscit Hesychius. Huc referri potest Joel. I. 20. ἀφέσεις ὑδάτων, metaphora petita a dimissione cursorum e carceribus, sono facto: quæ in specie dicitur ὕσπληγξ, teste Schol. Theocrit. ad *Idyll.* η. v. 58.

Φ.

Φλὸξ, ἡ τῦ πυρὸς,] L. πυρός.

Φύγη, φῦσις σώματ., ἡλικία.] Legendum jubent Viri Maximi, pro φύγη, φυή. Certissima emendatio. Ita φυή usurpatur Homero, *Il.* A. v. 114.

Οὐ δέμας, οὐδὲ φυὴν, οὔτ' ἄρ' φρένας, οὔτέ τι ἔργα.

Quem versum imitatus est Apollon. Rhod. l. II. v. 37.

Habet quoque Hesiod. Ἔργ. v. 129. (coll. Ἀσπ. v. 88.) ubi Tzetzes: Οὐτε φυὴν.] τὸ μέγεθ., τὴν ἡλικίαν. Non solam quidem, sed cum formæ dignitate conjunctam, ut recte ὁ πάνυ.

Χ.

Χρῆς, θέλεις, χρήζεις.] Aristoph. *Nub.* p. 147.

τὶ χρήζεις. Schol. βέλοιο. Et huc refer illud μᾶλλον χρῆσαι, 1. *Cor.* VII. 21. i. e. *potius elige, mavelis.*

Ω.

Ὠκυπόροισι, ταχέα ῥεύματα ἔχεσι &c.] Scribe per ω μέγα. Ὠκυπόροισι. Quod ordo Alphabeti & vox ipsa postulat.

Ὦρια, τὰ κατὰ τὴν ὥραν γινόμενα &c.] Scribe Ὦρια, cum Spiritu aspero. In seqq. Ὧροι, ὦρια, Φύλακες.] Scribe contra, ὦρια cum spiritu leni, non autem per ο μικρὸν, Ὅρια quod G. vult. Est enim ab ὥρα, quod supra explicuit Φροντὶς, ἐπιμέλεια.

Ὠσάμην, ἀποσάμην.] Scribe, ἀπωσάμην. Sed manum de tabula: & hæc speciminis loco sufficiant. Tu judices, Erudite Lector, atque interim memor sis, quod ex Phocylide citat Plutarchus: (*de Audit. p.* 47.)

Πολλ' ἀπεκτήνατο διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

X.

ANONYMI (a)

Schediasma, quo hiſtoria Concilii, quod Sec. XVI. MANTUAM primum, dein VICENTIAM indictum erat, illuſtratur.

ARGUMENTUM.

§. 1. Occaſio hujus ſcripti. *De*clarationes Anglorum de Concilio Mantuano & Vicentino. Scripta publica, Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. illuſtrantia, in lucem ſunt protrahenda. §. 2. Præcipue ad *Hiſt.* Conc. Trid. pertinentia. Storrii conſilium de nova editione Sarpii Hiſt. Conc. Trid. cum ſupplementis. §. 3. Optandum, ut ne ſucceſſu porro deſtituere-tur. Supplementa quædam ad Catalogum Fabricii de ſcript*is* ad Concil. Trid. ſpectantibus promittuntur. §. 4. Transitio ad præſens inſtitutum. *Hugo* Rangonus. *De* Colloquio Caroli V. cum Clemente VII. Bononiæ. §. 5. Vergerius mittitur in Germaniam. §. 6. Conſilia confert cum Electore Saxoniæ. Ejus Oratio. §. 7. Concilium Mantuam indicitur. Bullæ Pauli III. §. 8. *Matthias* Heldus, Pro-Cancellarius Cæſaris, cum Proteſtantibus de Concilio agit. §. 9. Scriptum Proteſtantium

(a) Rogatur ille humaniſſime, ne nobis, ejus perquam ſtudioſis, ſuum nomen celet diutius, ſunt enim, quae cum eo per literas communicanda ſunt. T.d.H.

tium contra Concilium *Mant.* Prorogatio Concilii prima, loco non indicato a Pontifice. *Declaratio* Anglorum. Sarpius notatur. §. 10. Secunda Concilii protractio. Vicentiæ locus designatus. §. 11. Altera Anglorum denunciatio ſpeciatim contra Concil. Vicent. Sleidanus notatur. §. 12. Tertia Concilii dilatio. Eam Pontifex invitus ſuſcepiſſe videri voluit. §. 13. Suſpenditur Concilium ad arbitrium Pontificis. *De* Bulla 1542. evulgata, qua illud Tridentum est indictum. Σχημα μνημονικον hujus Schediasmatis. Appendix ſiſtens titulos nonnullorum ſcriptorum huc facientium.

§. 1.

MAgnam omnino ab omnibus hiſtoriæ recentioris Eccleſiaſticæ ſtudioſis, iniiſſe gratiam cenſendus eſt, THEODORUS HASAEUS, cujus ſolerti curæ hanc Bibliothecam debemus, quod oppido commemorabilem, ut ipſe eam vocat, de Concilio Mantuam indicto, dein, non indicato loco, ad Cal. Nov. prorogato, Anglorum declarationem, cujus copiam ex manu exarato exemplo, beneficio egregii Viri, *Jo. Georgii Schelhornii* (*) nactus eſt, in lucem re-

(*) *M*erito ſuo hunc nuper laudavit, ipſe ſatis laudatus *HEUMANNUS*, in Parte XV. Actor. Philoſ. ubi Schelhornianam Conciliatoris Petri de Abano accuratam diligentemque recenſionem exhibet, cujus ille libri rariſſimi titulum in Miſcell. Lipsienſ.

vocare voluerit. (a) Intereſt enim ad communem utilitatem, ut ejusmodi ſcripta, mo-

T. XII. p. 86. modo dedit, unde ſpes enata est, fore, ut uberior ejus deſcriptio ab eodem poſſet expectari.

(a) Raritatem exempli, quod Wittebergæ *MD*XXXVII. apud Jo. Luſft, procuſum perhibetur in *B*ibl. hujus Tom. V. p. 508. ipſe nunc agnoſcere, neceſſum habeo, quando ea mihi nondum contigit felicitas, ut vel unicum potuiſſem indagare. Ad manus tamen mihi est translatio hujus *D*eclarationis germanica, A. 1538. 4. tribus plagis impreſſa, omiſſo loci indicio.

Titulus integer ſic habet:

Des Durchleuchtigſten und mechtigſten Königes/ und des gantzen Reichs Engellandt Bedencken/ von dem ertichten ausgeſchrieben/ und darnach aufgeſchobenem Concilio Pauli des Römiſchen Biſchoffs A. 1538. (numerus hic de impreſſione facta eſt intelligendus)

Versionem hancce ex conditione illius temporis metiri oportet, quæ alicubi liberior videri poſſet. Speciminis gratia liceat nonnulla ex exordio ac fine delibare. Illud ex his verbis cognoſcitur: Dieweil aller Welt wol bewußt/ daß wir darob gelegen haben/ daß allein die Heilige Schrifft widder zu iren Ehren und Wirden gekommen iſt/ So achten wirs dafür/ das uns nicht allein die Chriſtliche Religion widder auffzurichten / allen Vleis fürzuwenden/ ſonder auch den liſtigen Anſchlegen der Biſchoff zu Rom/ die keine Zeit die Warheit zu verwirren/ unterlaſſen haben/ zu begegnen/ eigen und gebüren wil/ hiezu treibt uns die Liebe/ ſo wir zur Warheit tragen/ und die Beſchirmung der Religion/ ſo wir langeſt hievor uns angenommen haben. Dieweil

mole quidem minora, ſed pondere & argumento momentoſa, hodieque extent, ac

 ſicubi

weil nun der Römiſche Biſchoff Paulus &c. &c. Conclusionis verba iſta ſunt:

So imant under euch ein beſſer Radt weis / dem wollen wir gern volgen/ und ſonderlich was die Religion belanget/ wir woln unſers Anſchlags nicht gebrauchen / wenn uns imant beſſers raten wird/ Gott der allmechtige wolt nach unſer Hertzen Begierd denſelben unſern Radtſchlag/ den er uns nach ſeiner Güte geben hat/ oder ein beſſern nicht allein inn uns meren/ ſonder inn alle Menſchen ausgieſſen/ dem ſey Ehr und Lob zu aller Zeit. *Hanc* ipſam declarationem ex dicta versione Germanica, *Hortlederus* Tom. I. Lib. I. Cap. XXX. pag. CXI. ſeqq. Editionis recuſæ, exhibet, in nota adjecta, addens, *Sleidanum* ejus ſummam referre, *Surium* vero ne primoribus quidem digitis eam attingere, ad convitia prosilientem commentitia, in Comment. rerum in orbe A. 1537. gestarum. Conf. ad hæc Bibl. Brem. T. V. p. 507. in nota ſubjecta, ubi Surius allegatur. Cum ab aliquo tempore in præstantiſſimi, & laboris, quem institutum ſuum requirit, patientiſſimi viri, Jo. Christ. *Lünigii*, collectione Consiliorum Polit. Europ. [Europäiſche Staats-Consilia] Lipſiæ 1715. fol. edit. ſcriptum quoddam *Jo. Wyckii*, in hac ipſa Bibl. T. II. Faſc. I. n. VI. §. 150. XII. p. 151. commendatum, Tom. I. n. 13. perlustrarem, memini me in eodem Tom. I. n. 20. hujus, Angliæ Regis de Concilio *Mant.* ſententiæ translationem germanicam obſervare inſertam, quæ, ni fallor, eadem est illi, cujus modo excerpta dedi. Ista enim Collectio Lünigiana jam non est ad manus. Ceterum miror, Ill. *Seckendorfium* hujus ſcripti mentionem nullam injeciſſe,

ſicubi temporum, aliorumque caſuum injuria, oculis hominum ſubducta, & fere deperciſſe, fortaſſis quia & ipsius fugit notitiam. Saltem mihi non licuit eſſe tam felici, ut, ſi quo forte in loco de eo ſermonem faciat, in eum incidere adhuc potuiſſem. *Pallavicinum* jubet Cel. *Haſæus* T. V. hujus Bibl. p. 508. de iſto conſuli. Verum is quoque P. I. Lib. IV. Cap. VII. §. 1. p. m. 126. ad a. 1538. duo iſtius *Declarationis* membra (quorum ſummam ex Sleidano & Sarpio hauſiſſe, neque ipſum ſcriptum ob oculos habuiſſe videtur] breviſſimis tangit, niſi ſtatuas, illum reſpicere quoque ad ſcriptum Regis Angliæ contra Concilium Vicentiam indictum. *Ubi Pontifex*, inquit, *Concilium indiceret, illico Regis diræ in illud concrepabant, tanquam in ſacrilegum ac tyrannicum. Ubi ex neceſſitate ipſum protraheret, aliæ rurſus diræ perſtrepebant, quibus provogationis conſilia ceu fraudes damnabantur. Sleidanus* itaque Comment. Lib. XI. p. m. 320. 321. [editio de a. 1555. Argent. in 8. habet fol. 273. a.] vel ſolus ſufficientem ejus recenſionem dedit, qui & paulo ante in Proteſtantium ſcripto Lib. XI. p. m. 315. ſqq. recenſendo, judice Ill. Seckendorfio Lib. III. §. LII. addit. 2. p. 147. diligentiſſimam accuratiſſimamque præſtitit operam, quod d. V. Mart. 1537. contra illam concilii indictionem, publicatum, huic Biblioth. forte aliquando inſeretur integrum, a qua declaratione typis impreſſa, præter alios Principes, ad Angliæ Regem ab Electore Saxoniæ, miſſa, occaſio ſæpe laudatæ Anglorum deductionis arceſſenda videtur. *Sarpii* recenſionem (ex qua ſua procul dubio, hauſit Pallavicinus] Sleidanianæ deberi, eumque nec ipſum ſcripti inſpiciendi occaſionem habuiſſe, utriusque collatio, & nimia in-

perdita ſunt, a poſſeſſoribus non invidis, & minime βιβλιοπαφοις, in lucem conſpectum-

 que

interpretis latini in retinendis Sleidani verbis præſidentia, docent. Sleidanus namque, pro more ſuo, non ſolum dicendi genus, equidem in Anglico hoc ſcripto ſatis politum, immutavit, nec tenax verborum exempli authentici fuit [conf. p. 321. loc. cit. cum p. 425. ſq. T. V. Bibl. Brem.] ſed & ſcriptum ipſum tanta dexteritate compendifecit, ut præter voluptatem, ex comparatione utriusque capiendam, fides quoque Sleidani in declarationibus hujuscemodi, aliusque generis ſcriptis publicis fideliter ſummatim exhibendis, hinc vel maxime, & vel unico hoc exemplo adſtrui queat. De cetero optandum eſſet, ut huic Bibliothecæ inſereretur quoque altera Regis Angliæ de Synodo Vicentina, *A.* 1538. publicata Declaratio, quam & ipſam Sleidanus Lib. XII. p. m. 344. & ſq. [fol. 294. a. in edit. Argent. altera de A. 1555. 8.) in nucleo tradit, qua exponi ait, quomodo Pontifex orbi terrarum illudat. Ubi illa excuſa ſit, non dicere habeo, cui copia ejus fieri adhuc non potuit. Auctor marginalium in Comment. Sleidani eam ſcriptum acerbum vocat. *Hortlederus* tamen & hujus ſcripti verſionem germanicam, ex latino exemplo A. 1539. per *Juſtum Jonam*, adornatam, Tom. I. Lib. I. Cap. XXXI. a. p. 117. usque ad p. 120. conſervavit. Titulus translationis in vernaculam noſtram talis eſt:

Des Durchläuchtigſten/ Großmächtigſten Herrn/ Herrn Heinrichs des Achten/ Königs in Engelland/ und Franckreich etc. Schrifft an Kayſerl. Majeſtät/ an alle andere Chriſtliche Könige und Potentaten, in welche der König Urſach anzeiget/ warum Er gen Vincenz zum Concilio [welches mit falſchem Titel/

Gene-

que poſtliminio quaſi proferantur, inſtantique ſubtrahantur interitioni. Unde ſatis laudari

General genannt) nicht kommen ſey/ welche das Evangelium Chriſti angenommen/ darzu erſchienen (*) Aus dem Latein verteutſchet durch Juſtum Jonam. 1539.

Initium ſcripti ita habet: So neulich in uuſerm/ und aller unſer Unterthanen Namen/ ein Buch geſchrieben/ und an Tag gegeben iſt/ darinnen gnugſam und überflüßig viel Urſachen angezeiget/ warum wir das Concilium verworffen/ welches der Römiſche Biſchoff --- erdichtet hat/ erſtlich als ſolte es zu Mantua ſeyn/ darnach ohne Ausdrückung einiges Orts oder gewiſſer Stelle/ ſeines Gefallens/ auff 1. Cal. Nov. erſtrecket etc. etc. ſubſcriptum eſt Londini 6. Idus April. (1538. intellige) Ad extremum moneo, ſcriptoribus a ſumme Ven. Th. *Haſæo* loc. cit. allegatis, qui prioris Anglorum declarationis mentionem fecerint, addi quoque mereri Innoc. *Gentiletum*, in luculento ſcripto, cui tit. Examen Canonum ac decretorum Concilii Trident. &c. 1690. 8. recuſo, [de quo libro proxima occasione nonnulla mihi obſervata ſuppeditare licebit] Hujus huc pertinens locus, Lib. II. §. 2. p. 28. dignus est, qui excerpatur: *Decrevit igitur*, inquit [de Paulo III. loquitur] *tramitem Adriani anteceſſoris ſui, repetere, menſeque Julio* (Junio dicere debuit] *anni XXXVI. Oecumenicum Concilium indixit, quod Mantuæ haberetur. At huic indictioni Proteſtantes Angliæque Rex interceſſerunt, ſuasque recuſationum cauſas, quibus aſſerebant,*

hoc

[*] Videtur mihi hic mendum typographicum latere; nam infra probatum dabo, ſcriptum hoc editum eſſe ante, quam tempus inchoandi Concilii adeſſet.

dari non poteſt virorum quorundam celebratiſſimi nominis induſtria dexteritasq;,qui nulli pepercerunt labori,nullis ſumtibus,in ejus generis ſcriptis, quæ publico nomine cenſentur, & vel civilis, vel Eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita illuſtrant, colligendis, ſeparatisque in voluminibus, comprehendendis, ac publici juris, cum antea paucorum fuerint, faciendis.

§. 2. Omnium vero maxime, non tam meo,quam aliquot virorum de re literaria dudum bene merentiſſimorum judicio, illa ſcripta ex tenebris eruenda, & ab interitu vindicanda ſunt, quæ tempore & occaſione Concilii Tridentini, diverſis in locis, ac in ipſis Pontificiorum terris, Italiaque ipſa, in lucem producta ſunt, quæ multa, utut ab auctoribus Romanæ Eccleſiæ addictis, conſcripta, teſtimonia veritatis continent luculentiſſima; quæque adeo Pontificii, omni ad-

hoc concilium ſuſpectum, & in loco ſuſpecto indictum, quo nec tutus, nec liber acceſſus ipſis pateret, ſcripto publicari curaverunt. Sed ad hæc addebat Rex Anglicus, nullam eſſe convocandi concilii poteſtatem penes Pontificem, hoc Imperatoris eſſe, & Regum munus: ſe Bullas ejus, decreta & Conſtitutiones omnes, nihili facere & aſpernari; & pro irritis habere, quotquot Concilia a Pontificibus, citra Imperatorum & Regum Chriſtianorum, conſenſum, convocata fuerint. Epiſcopos certe & Præſules Regni ſui ad Concilium, quod legitime indictum fuerit, alia, quam Pontificis, auctoritate, miſſurum ſe pollicebatur. Hactenus Gentiletus.

adhibito ſtudio, ſupprimere, & ex conſpectu noſtrorum tollere, annituntur. Quocirca, præter alios, VIR ſumme venerabilis, Joh. Andr. *Schmidius*, in Contin. Introd. Sagitt. p. 1440. ſq. haud immerito, applauſu ſuo mactavit inſtitutum illud in Cel. *Struvii* Bibl. antiq. A. 1706. p. 219. ſqq. judiciis eruditorum à Cl. *Storrio* ſubmiſſum, cujus ſcopus erat, novæ, quam meditabatur, Sarpianæ Conc. Trid. hiſtoriæ, editioni, utraque lingua Ital. & lat. adornandæ, varia monumenta, ex ipſo Concilio prodeuntia, illamque hiſtoriam comprobantia, quæ quidem olim excuſa ſigillatim, ſed divendita ſtatim & jam fere, ignota ſunt (Ven. Schmidii ſtilum, agnoſcis) addere, eaq; aut ſuis quibusque locis inſerere, aut uno volumine conſtipata exhibere. (b)

§. 3.

(b) Conſilium hoc, una cum adjecta ejusmodi monumentorum ſerie, Bibliothecæ antiquæ Struvianæ inſertum, non habet auctorem Cel. *Struvium*, uti quidem perſuaſi erant Duumviri Summe Venerandi, Jo. Andr. *Schmidius*, & Joh. Alb. *Fabricius*, ille quidem in Contin. Introd. Sagitt. ad *H. E.* p. 1440. 1441. hic in Bibl. Græc. Vol. XI. p. 700. Ipſe enim Struvius, cum anno MDCCX. Bibliothecæ ſuæ antiquæ titulum Theſauri variæ eruditionis, ex Scriptoribus potiſſimum Seculi XVI. & XVII. collecti, præfigeret, Diſſ. ſua de *Jure Bibliothecarum* in fine adjecta, præfationem quoque præmiſit novam, in qua, præter alia, viros illos Cla-

§. 3. Jam etsi horum Sarpianæ historiæ supplementorum, quorū catalogus in Bibl. antiq. datur, pleraque in Labbeana Conciliorum collectione, reperiuntur, id quod in diligentissime congesto, omnium fere scriptorum ad Concilii Trid. pleniorem cognitionem facientium, indice (c) Bibl. Gr. Vol. XI. inserto, suo loco, p. 700. annotavit laudatus Fabricius; attamen, cum nonnisi paucorum sit, tantum opus consulere; ista vero supplementa Sarpiano libro insigni ornamento sint futura, utilitatem quoque egregiam spondeant; optandum utique foret, ut ne institutum illud successu in-

Clariss. nominatim producit, quorum industriam operamque in adornanda ilthac Bibliotheca, esset expertus fidelissimam. In horum numerum etiam refert Jo. Phil. *Storrium*, sacrorum tunc apud Heilbrunnenses & Gymnasii Inspectorem, qui insigni cum rei sacræ & literariæ jactura, paucis abhinc annis, rebus humanis exemtus est; cujus potissimum esse consilium, ait, de nova operum Sarpii editione. Id quod monere hic visum est.

(c) Ad hunc indicem analecta quædam adducturus, prævideo, spatii, quo circumscribor, angustiam, id consilium alii occasioni, quando de Gentileti Exam. Conc. Trid. nonnullas observationes suppeditabo, reservari jubere. Id unum in præsens observo, epistolam Pontif. Pii V. ad Archi-Episc. Bremensem pro recipiendo Concilio Trident. datam, ibique pag. 710. memoratam, forte illam esse, quæ in hujus Bibl. T. II. Fasc. II. n. IX. pag. 386. sqq. exstat.

in posterum destitueretur, quin potius, ut collectio ista laudatorum, aliorumque similium, quotquot sequenti tempore reperiri potuerunt, monumentorum, separato volumine, ex voto complurium solidioris Hist. Eccles. ut par est, studiosorum, susciperetur. Inserviunt huic proposito binæ, eæque luculentæ ejusmodi scriptorum recensiones, altera quidem *Schrammio Schmidiana* (d) in contin. Introd. Sagitt. p. 1432. sqq. data, & Celeb. nominis Viro, Dn. D. Christ. Matth. *Pfaffio*, in conspectu Act. Publ. Eccles. Germaniæ (qui & in Fabricii Bibl. Gr. Vol. XI. p. 129. seqq. reperitur, add. omnino Act. Erud. Lips. Lat. A. 1721. p. 350.) ad A. 1545. laudata; altera *Fabriciana*, in libro, modo citato, p. 693. & sqq. exhibita.

§. 4. Sed mihi quidem pauca ad historiam Concilii, *Mantuæ* & *Vicentiæ*, Sec. XVI. habendi, pertinentia, nunc dicere,

(d) Quam Summe Venerabilis Abbas Mariæ-Vallensis hic expectare jubet pleniorem notitiam historicam de hoc Concilio, a Viro Cel. Dn. D. Jona Conrado *Schrammio*, Collega ipsius præstantissimo, peculiari scripto edendam, cujus delineatio, collectaneis Schmidianis locupletata, in laudata Cont. Introd. Sagitt. speciminis gratia proponitur, ea quoque, si prodiret, haud parum faveret profligando feliciter isti proposito; neque enim, quod sciam, adhuc lucem adspexit, videturque maxime Rever. Auctor malle hic quidem compositius, quam festinantius agere.

cere, animus ſedet. Multæ exſtant multorum, diverſæ ſæpe ac diſperſæ de hac re narrationes. *Mantuam* Clemens VII. (*) & Paulus III. Pontifices Romani, locum concilio aptiſſimum, peculiaribus ex cauſſis, judicarunt. Certe jam A. 1533. Legatus Pontificius, *Hugo Rangonus*, (e) Rhegien-

(*) Obiter hic obſervari velim, de colloquio, quod ſub finem A. 1532. Imperator Carolus V. cum Pontif. Clemente VII. Bononiæ de religione & concilio habuit (cujus mentionem injicit, ſed paucis, *Sleidanus* Lib. VIII. p. m. 229. (fol. 194. b. edit. Argent. in 8. de A. 1555.) fuſius vero *Pallavicin.* T. I. Lib. III. C. XII. Seckend. L. III. §. XI. p. 30. notitiam haud ſane vulgarem ſuppeditari in T. V. Declamationum Phil. *Melanchthonis*, fol. 88. ſqq. quam ipſe Melanchthon in Hiſtoriis Caroli omiſſam eſſe ſcribit, maxime vero dignam judicat memoria & conſideratione poſteritatis. Hanc prolixam notitiam elegantiſſima prorſus manu olim deſcriptam, reperio in fine editionis meæ Sleidani Comment. de *A.* 1555. Argent. in 8. excuſæ apud Wendelinum Rihelium, ex cujus officina paulo ante, eodem anno, editio princeps in folio, quam & ipſam poſſideo, prodiit.

(e) Ita nomen ejus audit *Sleidano* & *Seckendorfio*, aliisque. *Gentiletus* Randonem (niſi operarum typographicarum hic ſubſit aberratio) Paulus *Sarpius* Rangonem, *Pallavicinus* nunc Rangonem, nunc Rangonium, eum vocant in locis ſtatim citandis. Ugo, ſine additamento, appellatur in literis Clementis VII. ad ſex Electores, Bononiæ d. 20. Febr. 1533. datis, quas Seckend. exhibet in Comment. de Lutheraniſmo, immortali opere,

Lib.

gienſis Epiſcopus, in oratione (f) ad Electorem Saxoniæ Jo. Fridericum, præter Placentiam, aut Bononiam, Mantuam ſane Pontifici haud videri fore, ait, incommodam, optione tamen unius ex iſtis tribus urbibus, ab eodem permiſſa. Poſt obitum Clementis VII. (qui in diem XXV. Sept. Lib.

Lib. III. §. 17. p. 42. 43. Eodem A. 1533. Clemens VII. ad Franciſcum I. Galliæ Regem, de indictione Concilii generalis, epiſtolam miſit, quæ una cum Regis reſponſione, Tomo XXXV. editionis Conciliorum Regiæ, (cujus magnifici operis ampliſſimam deſcriptionem nuper dedit ille ævi noſtri Varro, in Vol. XI. Bibl. Græc. a 337. usque ad p. 735.) inſerta legitur. Copioſe hic legi merentur les Memoires de Meſſ. *Martin du Bellay*, Seigneur de Langey, Lib. IV. ad Annum 1533. fol. m. 105. ſqq. edit. Pariſ. 1572. fol. quos commentarios laudat Sammarth. in Elogiis Gallorum Lib. I. num. VII. ſect. 3. p. 21. Edit. recent.

(f) Hujus orationis ſententiam refert Sleidanus Lib. VIII. Comment. circa fin. p. m. 229. ſqq. (edit. princeps in fol. Argent. 1555. excuſa, habet fol. 127. b. ſq. altera vero editio Argent. eodem anno 1555. in 8. impreſſa, fol. 194. b. 195. a.) Hunc in Summa hujus orationis tradenda, ſecutus videtur Sarpius in Hiſt. Conc. Trid. Lib. I. p. 70. edit. Francof. 1621. 4. Add. Pallavicinus in Hiſt. Conc. Trid. P. I. Lib. III. cap. XIII. §. 4. ſqq. p. m. 101. & Innoc. Gentilet in Exam. Conc. Trid. Lib. I. §. 20. p. m. 20. Inprimis conf. Seckend. Lib. III. §. 17. d. 42. ſqq. neque pœnitebit inſpexiſſe finem §. XII. luculentæ commentationis de vita Jo. Wyckii, qua Theod. HASAEUS, Bibl. hujus Cl. II. Faſc. I. Sect. VI. ornа-

1534. incidit, (*) vid. præter alios Pallav. Lib. III. Cap. 16. §. 8. p. 106. Seckend. Lib. III.

navit, cujus vid. p. 151. adde tamen & p. 854. Tomi VII. Faſc. V. Ceterum notari velim, hanc Rangoni orationem typis Georgii Rhavv, Witteb. 1537. quo anno & loco, communis quoque Saxon. Elect. & Proteſtantium ad eam reſponſio, Sleidano loc. cit. recenſita, prodiit, eſſe impreſſam. Exhibet utrumque ſcriptum etiam Hortlederus de cauſis belli German. T. I. Lib. I. cap. XV. & XVI. p. 71. ſqq. qui & id ipſum extare ſcribit in Tomo II. Islebienſi operum Lutheri, ad A. 1533. ubi confer partem I. Hiſtoriæ Bibliothecæ Fabricianæ, num. LXXXIV. p. 469. Conſuli porro hic poſſunt, warhaftige Beſchreibung den geiſtl. und weltl. Sachen von 1500. biß 1559. qui liber Sleidano oppoſitus, Coloniæ 1559. fol. apud Caſp. Gennep prodiit. pag. CLXXXVIII. Lamb. Hortenſius de bello Germanico Lib. I. p. m. 14. Edit. 1560. 4. Baſil. Laur. Surius Comment. rerum in orbe geſtarum ad Annum 1533. p. m. 231. qui ad convitia ſimul abit. (De cujus variis editionibus vid. Cel. Fabric. Bibl. Gr. Vol. XII. p. 196. quam vero producit edit. Colon. 1603. 8. illam ipſam eſſe credo, quæ mihi in manibus eſt, Colon. apud Arnold. Quentelium A. M. DC. II. 8. impreſſa,) Dav. Chytræus in Saxon. Lib. XIII. p. 342. Pont. Heuterus rerum Auſtr. Lib. X. c. 9. Mich. Eyzingerus in bipartita ſeptem temporum hiſtoria, germanice ſcripta, & Coloniæ 1586. 8. edita, qui liber res continet ab A. 1515. ad A. 1585. geſtas, ad A. 1533. p. 470. ſqq. qui Sleidani recenſionem fere tranſcripſit.

(*) Hinc male ſcribit Mart. Zeillerus in tract. de celebribus Hiſtoricis, Chronologis & Geographis, P. I. pag. 63. Franc. Guicciardini Hiſtor. libros deſiuſ-

ad Sect. 8. p. 73.) Succeſſori ejus Paulo III de concilio promovendo, erat cogitandum. Is ut magnum ſemper præ ſe tulit ſtudium, conventus univerſalis congregandi, quod fueritne genuinum, nec ne? quilibet prudentiorum facile judicabit: (g) ita nihil videri volebat intermittere eorum, quæ ad exequendum hoc propoſitum facerent.

§. 5. Statim igitur hanc ſibi operam dandam eſſe, ratus eſt, ut Petrum Paulum Vergerium, ſuum & anteceſſoris ſui, legatum, paulo ante ex Germania revocatum, eodem remitteret, hoc quidem conſilio, ut; Proteſtantibus ſerio, ut videri volebat, ſuo nomine offerret concilium, tollendis de Religione ortis diſſidiis, deſtinandum, ceterum Mantuæ futurum ſignificaret. (h) Audiamus nominatim Paulum Ve-

ſinere in anno 1532. quo Clemens VII. mortuus ſit; quippe quos conſtat usque ad A. 1534. pertingere, qui & emortualis hujus Pontificis annus fuit.

(g) Vid. tamen Pallavicin. in princ. Cap. XVII. lib. cit. Paulus Venetus lib. I. p. 79. ſqq. & Seckend. Lib. III. §. 33. p. 94. item denunciatio Angiorum, Bibl. hujus Tom. V. reperiunda, p. 509. aliique, quos ſingulos nominare nec vacat, nec neceſſe eſt.

(h) Confer omnino Sleidanum, Lib. IX. p. m. 245. (ſed fol. 208. a. edit. Argent. 1555. 8.) Maimburg in Hiſt. Luther. Lib. III. ſect. 10. p. 94. collata Seckend.

Venetum, qui Lib. I. p. 80. sq. quamvis, inquit, Pontifex tot tamque manifestis documentis ostenderet, se concilium cogitare, quod omnibus esset satisfacturum & Germanos in rectam viam reducturum; Curia tamen Romana, & in ea, qui ab intimis ipsi erant, in hoc negotio tractando, consiliis, palam profitebantur, concilium liberum extra Italiam conscribi non posse, neque in Italia alium a Mantua locum videri idoneum. Hactenus verba Sarpii.

§. 6. Ipse Vergerius A. 1535. Electorem Saxoniæ, Pragâ, (quo redux ex Austria, rebus cum Ferdinando Rege confectis, concesserat) domum rediturum, de concilio ibi interpellans, quod ad locum attinet, ait Pontifici gravibus de causis Mantuam solam placere, quæ verba sunt Sleidani, Comment. Lib. IX. p. m. 253. (edit. Argent. secunda de A. 1555. 8. habet fol. 215. a.) (i) nec vero

ckend. annot. §. XXXIII. add. Pallav. Cap. XVIII. §. I.

(i) Hæc Vergerii ad Saxonem oratio, una cum Protestantium responso, a Sleidano Lib. IX. p. m. 255. (fol. 216. a. Edit. Arg. 1555. 8.) recensito, typis prodiit Witteb. apud Ge. Rhavv, 1537. comparet quoque in Tom. II. operum Lutheri Isleb. edit. ad A. 1535. vid. Hist. Bibl. Fabric. P. I. n. 84. p. 469. item Tom. I. Lib. I. Cap. XIX. & XX. p. 82. 83. sqq. operis eximii Hortlederiani, ubi vide, quæ

Pontifici soli, sed & Cæsari & Regi Galliæ eundem probari locum, idem postmodum retulit Vergerius apud eundem Electorem, vid. Seckend. Lib. III. §. 34. p. 97. ubi & notabilis est Lutheri, quocum & ipse Vergerius hac super re consilia agitavit, ad Electorem responsio. Ex quibus, opinor, satis liquet, Pontificem Romanum gravibus de caussis, quas præter alias, vel solæ Protestantium & Anglorum, de concilio Mantuam indicto, declarationes, detexere, concilium, si quod vel invitus cogere deberet, Mantuæ potissimum haberi, præoptasse.

§. 7. Reverso igitur Romam Vergerio intercedentibus Romæ inter Cæsarem & Pontificem Mense Aprili, MDXXXVI. de concilio deliberationibus, cum Mantua utrinque placeret, ipsa tandem Bulla seu Diploma Pontificium, IV. Nonas Junii, A. 1536. exaratum, emanavit, quo Concilium ad diem XXIII. Maji, A. 1537. Mantuam, locum diu ante optatum, legitur indictum. (k) Locus Mantuæ electus est, (inquit Seckend.

quæ ipse Hortlederus breviter notavit. Ceterum adde Lamb. Hortensium Lib. I. Belli German. p. 14. 15 Laur. Surium Comment. rerum in orbe inde ab A. 1500. gestarum, p. 279. 280. ad a. 1535. qui vero neque hic a scommatibus sibi potuit temperare.

(k) De auctoribus hujus bullæ, aliisque circumstantiis, vid. Sarpius Lib. I. p. m. 86. Pallav. Lib. III. Cap.

ckend. Lib. III. p. 126.) dissuadente Vergerio, qui prius Germanorum consensum im-

Cap. XIX. §. 10. p. m. 113. inprimis Seckend. Lib. III. §. XLV. p. 126. Laur. Surius ad a. 1536. p. 293. Ludov. Guicciardinus in Comment. de rebus memorabilibus, quæ in Europa, maxime vero in Belgio, ab undetricesimo usque in annum M. D. LX. evenerint, P. P. Kerckhovio Actiophanensi interprete, Antverpiæ 1566. 8. edit. Lib. I. pag. 61. Lamb. Hortens. de Bello Germ. Lib. I. p. 18. aliique. Petri Suavis Polani errorem, qui in diplomate ad d. XXVII. Maji, 1537. concilium a Pontifice indictum fuisse, scripsit, ipse Pallavic. loc. cit. recte emendavit. Ipsum diploma summatim recensetur a Sleidano, Lib. X. p. m. 289. sq. (edit. 1555. Argent. 8. fol. 246. a, b.) & Sarpio Lib. I. p. 86. Sleidani recensionem, ex versione illorum Comment. germanica desumtam, totam fere (exceptis nonnullis in fine, quæ omissa sunt) legere licet in der warhafftigen Beschreibung geistl. und weltlicher Händel / ex typogr. Casp. Gennep, pag. CCXXVIII. CCXXIX. Eam vero integram in vernaculam nostram conversam, ex recentiori quadam Sleidani translatione, depromtam exhibet Mich. Eyzinger, Austriacus, in Septem Temporum Historia, german. scripta, ad a. 1536. p. m. 503. sqq. Germanica vero dicti diplomatis versio, quã sine loci mentione, in forma quadrifariã complicata, impressam, & sex foliis constantem, in manibus teneo, quamque Wittebergæ 1536. procusam, suspicor, hunc gerit titulum: Die Ausschreibung eines gemeinen freyen öffentlichen Conciliumbs zu Mantua. Auf den 23. Tag May, im 1537. von Bäpstlicher Hailigkeit Paulo dem dritten zu halten ꝛc. Bulla verteutscht. Exacte omnia exhibet, quæ latinum habet

petrari debere contendebat: admissum tamen ejus monitum fuit, ut in diplomate indi-

habet exemplum. Eadem translatio, paulum tamen immutata, reperitur sub lit. F. IV. b. &c. in collectione quadam Witteberge 1537. 4. ap. Ge. Rhavv edita, de qua infra in append. cui tit. Warhafftiger Unterricht etzlicher Handlungen ꝛc. quamque ab Hortledero exhiberi, ibidem memorabitur. Idem hoc diploma in vernaculam nostram transfusum reperiri in Tomo VI. Altenb. operum Lutheri, fol. 1054. sq. Seckendorf. Lib. III. p. 126. perhibet; apud Hortlederum T. I. Lib. I. C. XXII. p. m. 87. sqq. idem german. legitur exemplum, ex collectione Witteb. laudata depromptum. Ipsum autem latinum exemplar, quod possideo, (Romanum credo ipsum, in fronte insigni Pontificio ornatum, 7. foliis constans, formæ, quam quarti ordinis vocant) hanc gerit rubricam:

S. D. N. D. Pauli divina providentia P. P. M. Bulla indictionis sacrosancti generalis concilii.

Quod ipsum, à viginti sex Cardinalibus subscriptum, pro egregio suo, ejusmodi scripta colligendi & conservandi studio, olim Politicis suis Imperialibus, Francof. ad Mœn. MDCXIV. in fol. editis, Parti XXVII. n. III. p. 1197. sqq. inseruit Melch. Goldastus, eique statim subjunxit Protestantium contra illud evulgatam declarationem, cujus & nos mox injiciemus mentionem. Obiter observo, inter collectiones Goldastianas illam, Politicorum Imperialium titulo insignitam, & raritate & præstantia esse commendabilem, cujus recensionem legere licet in Bibliothecæ Historicæ, Hamburgi edi cœptæ, meritoque continuandæ, Centuria VIII.

art.

dictionis omitterentur verba, ſecundum formam præcedentium Conciliorum, ut ſcilicet ſpe quadam liberi Concilii ineſcarentur Proteſtantes. Interea Paulus III. ut univerſo orbi pateſaceret, quam ſerio de emendatione religionis & morum cogitaret, die XXIII. Sept. 1536. aliud diploma emiſit, quod repurgationem urbis & curiæ Romanæ haberet pro ſcopo, ut ſua nimirum domo repurgata (verba ſunt Pauli Sarpii) reliquas facilius repurgare liceat. Sed merum fucum fuiſſe, Seckendorfius, & quilibet prudentiorum cum illo, rectiſſime arbitratur. (1)

art. 100. p. 342. ſqq. cumque in antecedentibus articulis omnium collectionum Goldaſti, aliorumque ejus operum ſiſtatur enumeratio deſcriptioque, nulla alia, credo, quam raritatis ex cauſſa, factum eſt, ut dictum Poliit. Imper. Volumen, poſt interjectas alias aliorum librorum ſectiones, ultimo articulo velut poſtliminio recenſeretur. Ceterum adde & Pauli III. Bullam indict. Conc. Trid. 1542. p. m. 3. 4.

(1) Evolvatur Seckend. Hiſt. Luth. Lib. III. §. 50. p. 136. Petrus Suavis Polanus Lib. I. Hiſt. Conc. Trid. p. m. 86. Sleidanus ſub fin. lib. X. p. m. 293. (ſed fol. 249. b. edit. Arg. 1555. 8.) qui & aliam delectorum quorundam Cardinalium & Epiſcoporum, emendationem, ſcripto comprehenſam, ſed minime, ut ait, repræſentatam, nec in publicum eductam, in fronte Lib. XII. fuſe recenſet, quæ omnino huc referenda eſt. De hoc, ni fallor, ſcripto

§. 8. Sub initium sequentis anni, M.D XXXVII. qui Concilio destinatus erat, inter Cæsarem & Protestantes varie adhuc, per Legatum seu oratorem Imperatoris, Mat-

pto, Paulo III. jubente, concinnato, & exhibito A. 1538. vid. Cl. Fabr. Bibl. Gr. vol. XI. p. 114. conf. infra not. (p) Prioris vero versionem germanicam Seckend. l. c. extare scribit T. VI. fol. 1057. (sine dubio operum Luth. Altenb. multis Tomis impress.) sed oblitus est indicare, eandem occurrere apud Hortlederum in descriptione belli Germ. T. I. Lib. I. Cap. XXIV. p. m. 91. sqq. qui illam desumsit ex sæpe citata, & infra adhuc memoranda collectione: Warhafftiger Unterricht etzlicher Handlungen &c. hic enim ultimo loco, lit. O. reperitur. Scripta est d. XXIII. Sept. 1536. adeoque emendandus est numerus 22. in recusa operis Hortlederiani editione. De alio scripto rariſſime obvio, illique deliberationi, quam Sleidanus initio lib. XII. adducit, consimili fere, alia forte occasione in hac Bibliotheca agetur. Quid? quod cum præter duos alios Episcopos, auctorem agnoscat Robertum Vuacopum, Archi-Episcopum Armacanum, cœcum natum, (ita enim subscripsit ipse) forte ab instituto hoc haud erit alienum, illud, unicam philyram non multum quippe excedens, in hac ipsa Bibl. recudi, ut specimen exstet, ex quo ea illustrentur confirmenturque, quæ optimus HEUMANNUS in Diss. de cœcis videntibus. (in hac Bibl. T. V. p. 370. laudata, & in Pœcile ejusd. T. I. Lib. I. recusa à p. 139-161.) de illo ipso docto cœco, quem ex Gilb. Genebrardi auctoritate Robertum Mancopium vocat, Wacopium vero, & rectius, secundum Miræum ibidem quoque appellat

Matthiam Heldum, Procancellarium ejus, de modo, forma, & sede Concilii, deliberabatur, Mantua, ab ipso quoque Cæsare varias ob causſas, illis propoſita. Pertinet huc omnino ſcriptum, infra porro memorandum, cui tit. Warhafftiger Unterricht etlicher Handlungen ꝛc. quod Witteb. 1537. 4. evulgatum, Hortlederus T. I. Lib. I. Cap. XXV. p. 93. ſqq. recudi fecit. Diligenter, quæ utrinque acta ſunt, exponit Sleidanus ab exordio Lib. XI. conf. Surium, Sleidanum, Sarpium, Pallav. Seckendorfium, alios, ad dictum annum; add. Lamb. Hortenſ. L. I. p. 18. 19. 20.

§. 9. Hinc ubi prolixe ſatis cauſſas ſuas, cur Concilium recuſare ipſos oporteat, privatim primum Matthiæ Heldo Smalcaldiæ expoſuiſſent, tandem die V. Martii 1537. ex Smalcaldia Declarationem in publicum edunt, qua cauſſas recuſatæ Synodi a Paulo III. indictæ, univerſo orbi manifeſtant. (m) Hac

lat, haud injucunde literis prodidit. Adjungere & tum forte licebit ſpecimen quoddam poëticum Camilli Falconeti, cœci Senenſis, ab eodem laudati.

[m] *Hæc* non minus commemorabilis, atque Anglorum declaratio, ad manus mihi eſt, uti ex officina Ge. Rhavv. Vitebergæ *MDXXXVII.* in forma quadripartita, duabus plagulis, prodiit, talemque præfixum habet titulum:

Cauſæ, quare Synodum indictam a Romano Pon-

denunciatione motus forte Pontifex, neſcio quem a Principis Mantuani, Friderici, objectis

Pontifice Paulo III. recuſarint Principes, Status & Civitates Imperii, profitentes puram & Catholicam Evangelii doctrinam. Vitebergæ MDXXXVII.

Subſcriptio hæc eſt: Ex Smalcaldia die quinto Martii, Anno *D*omini 1537. Rectèque & ordine fecit laude digniſſimus Goldaſtus, quod eam Politicis Imperialibus, P. XXVII. n. IV. p. 1200. ſqq. inſeruit, ut paullo ante ſub fin. not. (k) dictum eſt. Titulus, quem ibi obſervo, ſic habet:

Protestantium Imperii ſtatuum rationes, cur Synodus illa, quam Paulus Roman. Pontifex, ejus nominis III. *M*antuæ celebrandam parum candide indicit, & ſe habiturum eſſe ſignificat, neque æqua videri poſſit, neque utilis Eccleſiæ: unde & ab iis, qui ſacroſanctum Evangelium ineffabili *D*EI miſericordia revelatum, acceperunt, atque Eccleſiæ Chriſti conſultum eſſe volunt, optimo jure, ut ſuſpecta, recuſari debeat: Regibus & Monarchis præſertim exterarum nationum, adeoque omnibus bonis viris expoſitæ, Anno, M. *D*. XXXVII.

Subſcriptio: Ex Smalcaldia d. 5. Mart. A. *D*om. 1537. hic eſt omiſſa. *J*am ante Goldaſtum, hoc ſcriptum a D. Quirino Reutero, Profeſſ. *H*eidelberg. in collectione quadam, Offenbaci, 1610. 4. edita, cujus contenta exhibet Fabric. *B*ibl. Gr. Vol. XI. p. 706. recuſum eſt. *H*anc collectionem inter libros rariores numerat Schmidius in T. II. Introd. Sagitt. p. 1442. An & ab aliis integra ſit exhibita, me fugit, certe perillustri Seckendorfio Goldastiana hæc illius ſcripti iteratio videtur fuiſſe incognita. Eodem Annō 1537. hujus recuſa-

ctis sibi difficultatibus, mutuatur prætextum, in Anglorum quoque mox commemorando scri-

sationis translatio germanica Wittebergæ apud Ge. Rhavv, 5. plag. in 4. impressa est, quæ & ipsa mihi ob oculos versatur, hoc tit:

> Ursachen / so die Chur- und Fürsten: auch Stende und Stedte der Bekenntniß/ warhafftiger/ göttlicher/ und Evangelischer Lahr / allen Königen/ Hoheiten und Potentaten der Christenheit/ durch ir Schreiben zu erkennen gegeben/ darumb sie Pabst Pauli, des Namens des dritten/ ausgeschrieben Concilium, das Er auf den drey und zwantzigsten Tag *Maii* schierkünfftig/ gegen Mantua angesetzt/ billig vordechtig/ auch zu gemeiner Christlichen Einigkeit/ nicht dienstlich achten und halten. Wittenberg/ Anno M. *D*XXXVII.

Ultima verba in latino exemplo: Commendamus itaque nos &c. Versio hæc non habet, quæ tamen titulo videntur esse quasi intexta. *H*anc ipsam translationem *H*ortlederus T. I. Lib. I. Cap. XXIX. p. 104-111. refert integram, ubi conf. notam ipsius de Cochlæo. Breviter hanc renunciationem tangit, præter Cochlæum, & Surium, cavillantem, p. m. 304. Mich. Eyzingerum loc. cit. p. 515. 516. Gentiletus loco in not. [a] sub fin. supra citato, & Paulus Sarpius Lib. I. p. 89. Quam scite illam Sleidanus Lib. XI. p. m. 315. sqq. (fol. 268. b. sqq. in edit. Argent. de A. 1555. in 8.) repræsentet, comparatio quemque edocebit. Audiamus Ill. Seckend. Lib. III. §. LII. p. 146. scribentem: Plura postea [de Protestantibus loquitur) d. 5. *M*art. edita publica recusatione, deduxerunt, quorum compendium fidele & accuratum Sleidanus p. m. 315. ad 320. exhibuit. *I*dem in ad-

ſcripto mire exagitatum; atque alio, d. XX. Maji, A. 1537. diplomate edito, Concilium in Calendas usque Novembr. hujus anni, prima vice prorogat, nullo interim loco, quo id celebrandum eſſet, determinato. (n) Quæ bulla

addit. II. p. 147. ubi de hoc recuſationis libello, d. 5. Mart. [1537.) ſubſcripto, mentionem injicit, addit: Editus fuit latine & germanice, &, ut videtur, in gallicam etiam & Italicam linguam poſtea translatus. Germanicum exhibet *H*ortlederus T. I. C. I. c. 29. Quanquam vero, ita pergit, apud *S*leidanum egregia ejus reperiatur recenſio, ſummam tamen, ne lectorem alio ablegem, paucis exponam. Poſt ubi illam ſummatim adduxit, hæc ſubjicit: *H*unc libellum, typis excuſum, inſinuandum receperunt Elector & Landgravius, additis literis a ſe, ſuo & ſociorum nomine ſubſcriptis; Elector nempe ſcripſit, & exempla miſit Regibus Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, *H*ungariæ, & reliqua. Hæc ille. En, ut ſæpe dictum, occaſionem declarationis Anglicæ.

(n) Hanc prorogationem, ſi non inter proſpera, certe non inter mala, referendam eſſe, ſtatuit Seckend. Lib. III. §. LVIII. p. 161. conf. *S*leid. ſub fin. Lib. XI. p. m. 320. (fol. 273. a. Edit. 1555. Argent. 8.] Sarpius Lib. I. p. 90. Pallavic. Lib. IV. Cap. III. & cap. IV. §. 1. p. m. 119. inprimis adde Regis Angliæ ſcriptum, cujus alterum membrum de ea bulla agit, quæ ad Cal. Nov. concilium diſtulit, p. 522. Bibl. *B*rem. *H*is adde Bullam Pauli III. 1542. editam, qua Concil. Trid. indixit, p. m. 4. 5. in Phil. Chiffletii editione Conc. Trident. Lud. Guicciardinum in libro §. VI. not. (i) citato, Lib. I. p. m. 80. *M*ich. Eyzingerum ad A. 1538. p. m. 520.

bulla vix dum in Angliam erat perlata, cum ſcriptum illud memoria & cognitione poſteritatis utique dignum, Regis Angliæ, ejusque Regni Procerum nomine, in vulgus dimanaret, cui omnino, præter memorata Pontificis diplomata, anſam præbuiſſe creditur paullo ante laudata Principum, Statuum & Civitatum Imperii, puram Evangelii doctrinam profitentium, typis impreſſa, & in Angliam quoque transmiſſa declaratio. (o) Dicta

(o) Male hinc ſuam narrationem connectit Sarpius, quando, paullo ante de dilatione Concilii ad Cal. Nov. locutus, lib. I. p. 90. Angliæ Rex, inquit, interea ſuo & Procerum regni nomine, ſcriptum evulgat contra Concilium, &c. Cum tamen poſt editum prorogationis diploma, illud ſit publicatum. Rectius Sleidanus loc. not. (n) allegato, ubi de producto Concilio verba fecerat, ſubjungit: Non multo poſt Angliæ Rex, & ſuo, & Regni Procerum nomine, ſcriptum evulgat, & reliqua. Ac quandoquidem hæc ipſa verba aliaque ſequentia, Sarpianus interpres tam fideliter retulit, ut a Sleidani verbis diſcedere, religioni fere ſibi duxerit, cur non & illam connexionem: non multo poſt: retinuit, & cur maluit particula ſua: interea: lectores ſuſpenſos teneri, fueritne illa declaratio ante, vel poſt dilationis bullam, in publicum emiſſa? Ita neque Laur. Surius ad A. 1537. p. m. 304. ſq. in tempore ordinando rem acu tetigit: is enim de deliberationibus inter Heldum & Proteſtantes factis, quæ in vernum fere tempus anni 1537. inciderant, poſtquam egiſſet, illico adjicit ſequentia: Per id fere tempus etiam Rex

cta vero Anglorum ſententia illa ipſa eſt, quam recuſam leges in Bibl. Brem. T. V. p. 507. ſqq.

§. X. Ad eundem A. 1537. ipſumque hunc temporis articulum pertinet conſilium Pauli III. iteratum de emendatione quadam inter ſuos ſuſcipienda. (p) Imminebat interim magis ma-

Rex Angliæ ſcriptum edidit, quo ſe oſtendit non multum tribuere authoritati ſummi Pontificis, neque venturum, neque legatos miſſurum ad Concilium Pontificium: & alia pleraque ſatis acerbe in Pontificem. Male quoque hic connectit ſuam narrationis ſeriem Mich. Eyzingerus ad a. 1537. p. 516. ſqq. ſcribens: Als nun der Tag/ auf welchen das Concilium gen Mantua ausgeſchrieben/ herbey [in margine addit d. 23. Maji] lieſſe der König von Engelland/ in ſeinem und der Engelländiſchen Herrn Namen eine Schrifft ausgehen. Es wäre vom Pabſt/ welches doch in ſeiner Macht nicht ſtünde/ ein Concilium ausgeſchrieben etc. Totam hanc recenſionem Scripti Anglorum, quam Sleidanus dedit, ex verſione Comment. Sleid. germanica, editionis, quam Mich. Beuther, Argent. 1575. in fol. procuravit, p. 249. 250. ſub fin. Lib. XI. in ſuum hunc librum tranſtulit Eyzingerus, cujus & ultima verba ſunt, ſicut in Sleidani verſione: Wo iederman ſonſt ein beſſer wüſte / wolte er ſie nicht verwerffen. Hinc rectius feciſſet, ſi & Sleidani connectendi modum ſervaſſet. Ceterum refer huc omnino, quæ ſupra in not. [a] ad §. I. fuſe hac ſuper denunciatione Anglica, dicta ſunt.

(p) Scriptum hac de re ab iis, qui a Pontifice ad id delecti fuerunt, concinnatum, & de quo ſupra ſub fin. not. [l] diſſerui, a Sleidano ab exordio

Lib.

magisque tempus, Calendæ scilicet Novembres, Concilio destinatum, etsi, ubi illud esset celebrandum, non magis fortasse ipse Pontifex, quam ceteri, qui eidem interesse debebant, sciret. Ut rectissime scripta videantur verba hæc in sententia Anglicana: (q) Quis unquam tam temerarius, audax, impudens, ut Reges ad Concilium vocet, neque certum aliquem locum, ubi consultent, illis significavit? Paulus vocat Reges ad Concilium. Quo? nusquam. Et post nonnulla in-

Lib. XII. jucunde recensetur. Conf. Sarpius Lib. I. pag. 91. 92. Pallav. Lib. IV. Cap. V. §. 3. sqq. cumprimis inspiciatur Seckend. Lib. III. §. LIX. p. 163. collata p. 170. qui & docet, ubi id integrum reperiatur. Idem in addit. p. 164. versionem, ait, hujus consilii germanicam, non solum cum præfatione, de qua dixi, sed & cum notis ad marginem satis aculeatis, Lutherus edidit, quæ in Bibliothecis extat, in Tomos tamen, nescio qua causa, relata non est. Idem, ni fallor scriptum, occurrere apud Petrum Crabbe T. III. p. 819. sqq. operis conciliorum; Ed. Brown in append. ad Fascic. rerum expetendarum fugiendarumque; & ad A. 1538. relatum, in Tomo XXXV. Edit. Regiæ Conciliorum, docet Cel. Fabricius Bibl. Græc. Vol. XI. p. 114. & 692. conf. Catal. Bibl. Thuanæ p. m. 100. princ. Extare quoque in collectione quadam Conringiana, docet Fabricius in Hist. Bibl. suæ P. IV. p. 197.

[q] vid. Bibl. Hist. Phil. Theol. Cl. V. p. 523. & p. 525.

interjecta. Vis omnes adesse ad Cal. Nov. nec, ubi tum tu futurus sis, etiamdum nosti. Hinc aliud quidem effugium Pontifici omnino videbatur relictum esse nullum, nisi ut emisso d. VIII. Octobr. 1537. alio edicto, Concilium ad Calendas usque Maias sequentis Anni 1538. secunda vice produceret, Vicentiamque urbem, ad Venetorum ditionem pertinentem, ut locum eidem idoneum denominaret. (r)

§. XI. Anno igitur M. D. XXXVIII. cum ad Calendas Maii, Vicentiæ Synodi expectaretur congregatio, paullo ante, die scil. VIII. April. 1538. alter Regis Anglorum, contra hoc ipsum, Vicentiam indictum, Concilium, in vulgus emanabat recusationis libellus

[r] Conf. Sleidan. Lib. XII. p. m. 329. (fol. 280. b. edit. Arg. 1555. 8.] Lud. Guicciardinus lib. cit. p. 80. lib. I. ad fin. a. 1537. Sarpius Lib. I. p. m. 92. Pallav. IV. cap. V. §. 2. p. m. 121. Seckend. Lib. III. sub fin. §. LVIII. p. 162. Bulla Paulli III. qua A. 1542. Concilium Tridenti celebrandum esse, significavit, p. m. 5. 6. 7. in Phil. Chiffletii edit. Conc. Trid. Non possum, quin Mich. Eyzingeri verba transcribam p. m. 520. ad a. 1537. König Heinrich der VIII. in Engelland mit seinem Ausschreiben wider das Concilium, und mit andern/ die seiner Verbündnüß waren/ hat letzlich so viel gemacht/ daß unangesehen ein solches Concilium abermals ausgeschrieben worden/ jrer doch wenig darauf gekommen. Derhalben es dann der Pabst auf nechstkünfftigen May verschieben müssen/ und hat dann die Mahlstatt ernent zu Vincentz &c.

libellus (s) in quo, remissione facta mox ab initio, ad superiorem libellum, qui causas

(s) Ille scilicet ipse; quem in hac Bibliotheca recudi, operæ pretium esse, supra in fin. not. (a) innuere me memini, cujusque versionem germanicam ab Hortledero exhiberi, ibidem commemorávi. In transitu hic moneo, in hac subscriptione: *Datum zu Londen/ in unserm Pallast/ 6. Idus Aprilis, unsers Reichs im 39. Jahr/* quam nova operis *Hortled.* editio, [nescio an & prima] refert, num. 39. per num. 29. esse emendandam, cum constet, *Henricum* VIII. *A.* 1509. regno fuisse admotum, adeoque, cum hoc scriptum 1538. ederet, in 29. regiminis anno, constitutum. Addo & Sleidanum, loco non admodum commodo, sub Anno scil. 1539. hujus declarationis alterius recensionem instituisse. Enimvero cum Lib. XII. ad *A.* 1539. p. m. 344. [fol. 294 a. Edit. 1555. Arg. 8.) de Concilio Vicentino, quod Paulus III. tertia prorogatione ad usque Pascha Anni 1539. extraxerat, verba feciſſet, neque vero tunc etiam [intellige A. 1539.] ullos veniſſe, adeoque Pontificem d. 10. Junii 1539. Concilium prorsus ad suum & Senatus Cardinalium arbitrium suspendisse, commemoravisset; continuo hæc verba subjicit: *Angliæ* Rex aliquot ante mensibus alterum evulgarat scriptum de Synodo Vicentina &c. Unde lectores vix satis cognoscere possunt, fueritne id jam A. 1538. an hoc demum, sub quo ejus mentionem facit Sleidanus, 1539. anno, emissum. Videtur is mihi versionem germanicam, à Justo Jona 1539. adornatam, [dein *Hortled.* Tomo I. Lib. I. Cap. XXXI. insertam] ad manus habuisse, &, quandoquidem annus, 1538. in subscriptione non additus legitur, etsi annus administrationis regiæ 29. ibi comparet, persuasus fuisse, illam

continebat, cur Mantuæ habendum ipſi displiceret Concilium; easdem nunc rationes con-

illam renunciationem anno demum 1539. lucem adſpexiſſe. Favet huic conjecturæ id omnino, quod à die VIII. April. quo exaratum fuit ſcriptum, ad d. X. Jun. quo Paulus Concilium ſuſpendit, & de quo paulo ante Sleidanus egerat, annus & duo menſes integri elapſi erant, adeoque, ſiquidem credidit ea, uno eodemque anno 1539. gesta eſſe, omnino more alias quoque recepto, ſcribere potuit: *Angliæ* Rex aliquot ante mensibus, & reliqua. Illam ergo recensionem haud male quis retulerit ad A. 1538. Lib. XII. p. m. 332: (fol. 283. a. Edit. *Aug.* in 8. de A. 1555.] ubi de Cæſaris, Regis Galliæ, & Pontificis congreſſu Niceæ, locutus Sleidanus, paullo post tertiæ dilationis Concilii ad futuri anni 1539. paſcha, celebrandi, de eoque editi diplomatis pontificii IV. Cal. *Jul.* 1538. mentionem injicit. Credoque, ipſum Sleidanum huc eam referre voluiſſe, cum à die IV. Cal. Jul. ad d. VIII. April. quo ſcripta erat declaratio Anglorum altera, aliquot retro menſes poſſint utique numerari. Ipſe quoque Paulus Sarpius accurationem majorem in tempore hoc deſignando potuiſſet ſectari. Is enim Lib. I. p. 92. de diplomate ſermonem instituens, quo Paulus III. Concilium ad Cal. Maji 1538. Vicentiam protraxit, mox addit: Diplomate hoc evulgato, Angliæ Rex contra illud alterum emittit ſcriptum VIII. April. ejusdem anni &c. At vero id diploma d. VIII. Octobr. A. 1537. ſcriptum vero Angliæ Regis d. VIII. Aprilis, 1538. fuit evulgatum. Excuſari tamen vel ſic potest Sarpius, ſi verbis: ejusdem anni, non ad annum 1537. quo diploma promulgatum erat, ſed ad annum *MD.* XXXVIII. in quem Concilium rejectum fuerat, utpote

confirmat, negatque, se Vicentiam magis, quam Mantuam, locum Concilio aptum, agnoscere posse. Neque vero hæc remoram videbantur conventus celebrationi injectura. Ipse potius Paulus III. statuto tempore, tres legatos Concilii initium facturos, Vicentiam miserat, eodemque fere tempore Nicæam, quod est Liguriæ oppidum, quo & Cæsar & Galliæ Rex pervenére (*) se contulit, congres-

 sui

pote qui numerus dicta verba modico intervallo præcedit, respexisse dicatur. *A*lias prolixior est Sleidano in hac declaratione Anglorum posteriori recensenda, quam ipsi inspicere licuit, cum priorem recensionem ex Sleidano hausisse, haud vana sit suspicio. Id unum addo, me non magis felicem fuisse in deprehendendo loco, quo Seckendorfius hujus alterius fortassis meminit Anglorum deductionis, ac me fuisse questus sum not. [a] in prioris scripti sede apud Illustrem hunc historiæ Lutheranismi scriptorem investiganda; neque ad A. 1537. nec 1538. nec alibi. Posteriorem vero declarationem A. 1538. evulgatam esse, vel inde quoque probatum datur, quod Sarpius Lib. I. p. 93. scribit, fulminis a Pontifice in Henricum VIII. die XVII. *D*ecemb. 1538. emissi [vid. p. 95. ibid.) causam tribui scriptis ab Rege contra Concilium *M*antuæ & Vicentiæ indictum, publicatis. Conf. Seckend. Lib. III. §. LXXIII. p. 224. num. (9)

[*] Mentio quoque fit hujus congressus, Lib. VIII. des Memoires de Mess. Martin du Bellay, fol. m. 272. edit. Paris. 1572. *in* fol. ad a. 1538. Sed non meminit Bellajus petiti Pontificis, quo Principes hosce de mittendis ad Concilium Præsulibus, solicita-

sui colloquioque cum illis de pace habendo interfuturus. Ab his Pontifex Nicææ contenderat. (utor verbis Sleidani (t) ut facta

tavit. Ceterum ad tempus quod attinet, cum ipse Bellajus hunc congressum ad A. MDXXXVIII. referat, utpote qui numerus singulis columnis superne est impositus, quoad scilicet gesta hujus anni; nescio quomodo hæc verba cum modo dictis conciliem: Les deux Princes, inquit, s'y condescendirent, & le jour prins de s'y trouver au commencement de Juin qu'on comptoit mille cinq cens trente-sept, le Pape s'y trouva cudit jour, aussi feirent leur deux Majestez: & en ceste assemblee la saincteté du Pape travailla merveilleusement, & reliqua. In margine extant hæc verba: Entrevuë du Pape, Empereur & Roy à Nice. Fortassis hisce expediendis subsidii quippiam subministrant ea, quæ Petrus Baylius in Diction. edit. recentiss. de anno emortuali, ætatisque anno Jo. Fernelii, Medici olim Galli, celebratissimi nominis, in prolixa nota, attulit, ubi scilicet & alibi quoque per diversam computandi annos rationem, multas difficultates chronologicas tolli posse, innuitur. Sed an ea hic locum queat habere, est, quod dubitem, maloque statuere, Bellajum memoriæ lapsum admisisse.

(t) Comment. Lib. XII. p. m. 332. (fol. 283. a edit. Arg. 1555. 8.) His verbis Sleidani non pœnitebit adjunxisse alia, etsi paulo prolixiora, quibus ipse Pontifex Paullus III. in Bulla, qua A. 1542. VIII. Kal. Jun. Concilium ad Cal. Nov. hujus anni 1542. Tridentum indixit, usus est: In illo congressu, inquit, colloquioque nostro, quod Nicææ habitum est, apud Principes institimus, ut & ipsi venirent ad Concilium, & Prælatos suos præsentes ducerent, ab-

cta jam pace, Vicentiam ipsi venirent ad Concilium, & quos haberent in suo comitatu Proceres Ecclesiasticos, eo mitterent, absentes etiam evocarent: cum autem illi de utroque sese excusassent, & qui Vicentiam erant ab eo missi Cardinales Legati, nunciarent, magnam ibi esse solitudinem, concilii diem rursus ad pascha producit anni sequentis, divulgatis ea de re literis, quarto Calend. Julii, (u) quum esset Genuæ, domum rediturus.

absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent; (placuit Sleidano hæc ipsa verba retinere) quod & ipsis redire in regna sua tum necesse esset, & Prælatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos, atque exhaustos, recreari, & refici oporteret; nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim a legatis nostris, qui Vincentiæ erant, accepimus, transacto jam, & longius præterito Concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus Prælatum, Vincentiam se contulisse. Quo nuntio accepto, cum videremus, eo tempore nulla jam ratione haberi concilium posse, ipsis Principibus concessimus: ut differretur tempus agendi concilii usque ad sanctum Pascha, diemque festum futuræ Dominicæ resurrectionis. Cujus nostri præcepti expectationisque decretæ literæ, Genuæ, anno incarnationis Domini, M. D. XXXVIII. IV. Kalend. Jul. factæ publicatæque sunt; & reliqua.

(u) Fallitur ergo Sarpius, quas literas has d. XXVIII. Ju-

§. 12. Ita vero & hujus concilii, Cal. Maji, 1538. inchoandi Vicentiæ, ſpes omnis evanuit, coactusque fuit Pontifex, uti dictum, illud tertia dilatione, ad paſcha usque futuri Anni M. D. XXXIX. extrahere. (x) De loco & ſede congregationis habendæ expreſſe nihil definiunt ſcriptores; Sarpius

Julii ſcriptas eſſe, affirmat: Enimvero dies quartus Calend. Jul. nobis dies Junii XXVIII. audit. Hac autem die, Genuæ, literas Pontificis, protrahendo concilio destinatas, exaratas fuiſſe, patet ex allatis Bullæ verbis in not. (t) quam Sleidanus ſecutus videtur. Pallavicinus Lib. IV. Cap. VI. §. 7. p. m. 125. in marg. idem ex Actis Conſiſtor. probat. Memini, me jam ſupra in not. [k] ſimilem Sarpii errorem notare.

(x) Cum alias fere ſemper ad procraſtinanda concilia haud invitus acceſſiſſe videatur Pontifex; tum hanc dilationem animo non lubente, ſuſcepiſſe, præ ſe tulit. Saltem hac vice non prorſus vanas hujus rei cauſſas videtur habuiſſe, quæ ipſum aſimulationis nota quadantenus abſolvunt. Certe cum Maimburgius in Hiſt. Luth. Lib. III. ſect. 17. ſcripſiſſet, bonum hunc Pontificem, cum dolore videntem, neminem in concilio (Vicentinum intelligit) compariturum, quanquam plus una vice id prorogaſſet, coactum tandem fuiſſe, illud in commodius tempus differre; hæc, inquam; cum ille ſcripſiſſet, ipſe Ill. Seckend. §. LXII. p. 171. huc non nullius momenti, addit verba: Quæ autem fuerit, ait, vera concilii protrahendi cauſſa, & an bonus ille ſenex, ut Maimburgius loquitur, dolens prorogationem fecerit, nolo hic diſceptare, & ſpeciem habent, quæ Pallavicinus d. l. (ſc. Lib.

pius modo ait, Legatos Romam revocatos, conciliique diem adusque paſcha ſequentis anni rurſus eſſe productum; Pallavicinus, rurſus a Pontifice Synodum Romæ prorogatam usque ad futurum paſcha, ambigue ſcribit; Sleidanus & Seckend. loc. cit. loci mentionem injiciunt nullam. Licet itaque ex eorum duntaxat brevi narratione, ſuſpicari, prorogationem concilii de tempore tantum intelligendam eſſe, loci autem mutationem intendiſſe nullam. Quin in Bulla Pontif. de concil. Trident. indicto ad d. Cal. Nov. 1542. conceptis verbis ſcriptum legitur; ne ad dictum quidem reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vincentiam conveniſſe. Ceterum notari hic merentur Pallavicini (y) verba; Edixit etiam, inquit, (de Pontifice

Lib. IV. c. VI.) §. 9. ad excuſandam concilii dilationem commentatus eſt. Hæc ille, cui & ego prorſus adſtipulor. Confidentius paulum quaſi de priſtino Pontificis propoſito ſcribit Sarpius, quando Lib. I. p. m. 93. de Cæſaris & Galliæ Regis excuſatione, locutus, facile vero, addit, Pontifici fuiſſe ſatisfactum, non multum laboranti, in quam partem, affirmativam, an negativam, propenderent. Ad quæ vide, quid Pallav. §. 8. reſpondeat.

(y) Lib. IV. Cap. VI. §. 7. p. m. 125. 126. Sed, ut alibi paſſim, ita & in hoc §. faſtidium fere parit lectori nimis ingrata interpretis translatio, hic ſane auribus, cultiori dicendi adſuetis generi, vix ac ne vix quidem toleranda.

loquens) non idcirco putandum, priùs diploma, Placentiæ editum, per ea abrogari, quibùs significabatur, tametsi ejus inchoatio usque ad paſcha traherctur, non ideo ipſo páſchatis die ut inchoatum cenſendum, absque nova denuntiatione Pontificis, quandoquidem fieri poterat, ut ex variis rerum eventis, ne tum quidem è Republica foret ejus inchoatio. Hactenus ille. Et revera vatem fuiſſe Paulum III. ſequentia oſtendunt.

§. 13. Verum enim vero non magis hic annus M. D. XXXIX. quam bini præcedentes, celebrationi concilii videbatur deſtinatus; jamque inſtabat reſurrectionis feſtum, cum nemo de adeunda Vicentia cogitaret; præterierat paſchalis dies, cum ob fruſtra expectatum convocatorum Præſulum: aliorumq;, quorum concilio intereſſe referret, adventum ſpes quoq; ſynodi omnis diſſiparetur. Quare non jam amplius de protractione, ſed ſuſpenſione Concilii, cogitandum ſibi eſſe, Pontifex ratus, editis ejusdem anni (1539.) d. X. Junii (z) literis, ad ſuum & ſedis Apoſtolicæ beneplacitum, ſuſpendit.

At-

(z) Lud. Guicciardinus Lib. I. p. 86. ſcribit: Eisdem pene diebus (rectius: haud multo poſt, ſcripſiſſet, nam, in proxime antecedentibus rem quandam Majo menſe geſtam, enarrat) Pontifex, qui Synodum exacto biennio (at vero nondum bienni-

Atque hæc quidem hactenus de concilio, quod Mantuæ primo habendum, dein quoque Vicentiam indictum, & variis prorogationibus de anno in annum extractum erat, strictim dixisse sufficiat; neque malam nos ab æquis & cordatis lectoribus iniisse gratiam, opinamur, quod, quæ alii, præclare quidem

nium, ab indictione d. VIII. Oct. 1537. facta, ad d. X. Jun. 1539. elapsum erat) Vicentiæ indixerat, illoque pro se tres (quos nominavimus) legatos miserat; quia pauciſſimi omnino ranſalpinorum populorum comparerent, sæpe tardatum & procrastinatum concilium Universale, pro re nata, remisit, & alio, dum sibi, & Purpp. PP. opportunioris temporis daretur optio, reservatum, prorogavit ac suspendit. Paulus Sarpius Lib. I. p. 98. diploma pro hac suspensione d. XIII. Junii factum esse, perhibet. Pallavicinus lib. IV. Cap. IX. §. 8. p. m. 133. in marg. d. 31. Maji (secundum Acta consistor.) datum diploma, affirmat. Sleidan. Comment. Lib. XII. p. m. 344. (fol. 294. a. edit. 1555. Arg. 8.) X. die Junii literas ait evulgatas esse, cui suffragantur verba Bullæ, qua Paulus III. concilium A. 1542. in urbe Tridento, cogendum esse, significavit, quæ adscribere integra juvabit: Cum cerneremus, inquit Pontifex, ne ad dictum quidem resurrectionis festum, alios Prælatos Vincentiam convenisse; prorogationis nomen jam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis concilii ad nostrum & sedis apostolicæ beneplacitum, suspendere maluimus: itaque fecimus, & de suspensione hujusmodi literas ad singulos supra dictorum Principum, decima die Junii, M. D. XXXIX. dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi.

dem illi, sed ob interrumpendam sæpius narrationis seriem, minus cohærenti oratione, de hoc ipso argumento commentati sunt, succincte complecti, & fontibus, non quidem omnibus, sed præcipuis, indicatis, lectorum notitiæ ampliori, succurrere, exigua hac opella nostra voluimus. Qui experientia didicit, hæc quoque scripta historici argumenti, & accurationem & laborem solertiamque posse & debere sibi vindicare, is hujus etiam schediasmatis auctori, quantumvis ignoto, minime spero succensebit.

Quæ postea gesta sunt in hoc negotio, quomodo concilium ab eodem Pontifice Paulo III. Tridentum, indictum (*) ibique

A,

(*) Bullam Pontificis d. 24. Maji, 1542. emissam esse, affirmat Maimburgius in Histor. Luther. Lib. III. Sect. 25. p. 382. Scriptam vero eam esse d. XXII. Maji, ex Sarpio & Pallav. recte constat. En ipsam diplomatis subscriptionem, ex editione Conc. Trid. Chiffletiana, cui id præmissum est: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ, M. D. XLII. XI. Calend. Jun. Pontificatus nostri anno VIII. Generatim illud mense Majo promulgatum esse, ait Ven. Schmidius loc. cit. Quando autem Gentiletus, Pontificem bullam mense Junio promulgandam curasse; & ante eum, Sleidanus, Pontificem Calendis Junii Concilium indixisse, narrant, adjungo illis hæc Pallavicini verba, in fine Lib. IV. Tandem 22. Maji, statutum diploma atque signatum, promulgatum vero solenni

A. 1542. Cal. Nov. inchoatum ſit, & quæ deinceps ſint inſecuta, eorum, præter fuſiores Sarpii, Pallavicini, aliorumque plurium narrationes, compendioſam notitiam hiſtoricam exhibet Innoc. Gentiletus in Exam. Can. ac Decret. Conc. Trid. & Ven. Abbas Mariæ-Vallenſis, Jo. Andr. Schmidius, in Contin. Introd. Sagitt. ad Hiſt. Eccleſ. p. 1432. ſeqq. (qui & Schrammianam, ut ſupra commemoravi, de hac re notitiam uberiorem expectare nos jubet.) Hujus potiſſimum brevi delineationi an noſtra hæc qualiscunque opella, multis licet paſſibus, illa inferior, adjungi, ſeu præmitti mereatur, noſtrum non erit, ſed aliorum judicium. Fe-

ni Principis Apoſtolorum die, cujus ſupremum Principatum Lutherani oppugnabant. Ceterum bullæ hujus (quæ præter cetera, narrationem quoque continet de indictione Concilii Mantuam ac Vicentiam facta, variisque ejus prorogationibus & ſuſpenſione) luculentam recenſionem dabit Sarpius Lib. I. p. 109. ſqq. Breviſſimis ejus contenta exhibet Sleidanus L. XIV. p. m. 407. 408. (fol. 347. b. 348. a. edit. in 8. Argent. de A. 1555.) Gentiletus Lib. II. §. 2. p. m. 29. Seckend. Lib. III. §. XCIV. p. 385. n. (d) qui & eam integram reperiri ſcribit apud Raynaldum (n. 13.) Germanicam verſionem in Bibliotheca Guelphica ſervari, docet Schmidius in contin. Introd. Sag. M. p. 1442. Phil. Chiffletius in ſua concilii Trident. editione, quæ mihi ad manus eſt, Colon. Agripp. 1647. 12. impreſſa (aliam enim ejusdem, ibidem 1644. 12. procuſam, a Cel. Fa-

Fecimus, quod licuit: compendii enim hic ratio erat utique habenda.

Fabricio Bibl. Gr. Vol. XI. p. 695. adduci, quæ nitida & multis aliis præferenda ipsi audit, supra annotavi,) dictum diploma, uti & alias sequentium Pontificum *Bullas*, integrum extare voluit, scribitque in dedicatione, hanc Pauli III. Bullam in multis editionibus Conc. Trid. desiderari, haud se libenter sustinere. Exarata est hæc Dedicatio Bruxellis, XVIII. Cal. Sept. MDCXXXIX. (ut appareret, nam numerus ultimus X. in mea editione nonnihil est obliteratus) in eaque ad Balthas. Moretum directa, scribit, optandum esse, quoniam sat multæ haberentur editiones declarationum, & remissionum, puros Canones & nuda Concilii Decreta, ad Romanum exemplar recensita, seorsim *Regio ipsius Chalcographio* excudi, ac minori quidem ceteris forma, ut facile & sine molestia circumferri possent, &c. quam notitiam addi velim ad Ven. Schmidii contin. Introd. ad Hist. Eccles. Casp. Sagittarii τα μακαριτα, pag. 1444. sqq. & Cel. Joh. Alb. Fabricii Bibl. Græc. Vol. XI. p. 694. sqq.

QUAESTIO.

Quomodo Jos. XIX: 35. de terra tribus Naphthaliticae dici potest, eam attingere Judam ad Jordanem ad orientem, quum tamen constet inter Judae & Naphthali portionem interjectas fuisse trium tribuum regiones, sc. Ephraim, Benjaminis, & Manasse?